LIBER
GALENI
DE
SYMPTOMATUM
CAUSIS
TERTIUS:

In theses contractus, & publici ac solennis exercitij gratiâ in inclytâ Argentoratensium Academiâ ad disputandum propositus

à

MELCHIORE SEBIZIO, MEDICINAE DOCTORE AC PROFESSORE,
Comite Palatino Cæsareo, & Reipubl. Archiatro:

Respondente

JOHANNE WOLFFIO
Mœno-Francofurtensi.

In Auditorio Magno, Mense Mart. Horis matutinis.

ARGENTORATI,
Typis EBERHARDI WELPERI,
ANNO M DC. XXXII.

PATRIÆ PATRI,

VIGILANTISSIMO

VIRO,

Magnificentia, Amplitudine, & Auctoritate praeminentiſsimo,

DN. JOHANNI Schwindt/ Inclutæ Imperialis & Liberæ Reipubl. FRANCOFURTENSIS ad Mœnum SENATORI ac SCABINO prudentiſſimo graviſſimoque, Literarum & literatorum Fautori ac Mecœnati beneficentiſſimo,

Domino, Patrono & Fautori ſuo honoratiſsimo,

Diſputationem hanc Medicam in devoti animi ſymbolum & felix novi anni auſpicium

ſubmiſsè inſcribit

JOHANNES WOLFFIUS, Mœno-Francofurtenſis.

I N

LIBRUM GALENI DE CAUSIS SYMPTOMATUM TERTIUM

Præfatiuncula.

N*Otum est ex* l. de symptom. diff. c. 2. *tria prima ac præcipua esse symptomatum genera: actionum læsiones: immoderatas excretiones ac retentiones: & simplices corporis affectus. Actiones autem, ut ex* c. 3. ejusdem libri *liquet, vel animales, vel naturales sunt. Et animales rursus triplices: sensitivæ, motivæ, & principes. Cùm igitur de causis symptomatum, quæ in actionibus animalibus deprehenduntur, prolixè libris duobus præcedentibus actum à* Galeno *sit: hoc tertio & ultimo causas illorum symptomatum aggreditur, quæ in actionibus naturalibus observantur: postea etiam ad causas symptomatum secundi & tertii generis, excretionum scil. & retentionum, itémque simplicium corporis affectuum accedit.: & appendiculam quandam, quæ totius voluminis de symptomatum causis pars est tertia, instar alicujus auctarii, addit.*

Partes *libri sunt quatuor.*

In primâ *explicantur causæ symptomatum, quæ accidunt in actionibus naturalibus.* Cap. 1. & parte priore cap. 2. *Sequimur enim distributionem capitum antiquam, quæ est* Thomæ Linacri· *non illam novam, quam* Leonhartus Fuchsius *invenit: quæ melior quidem: attamen inusitatior. Possunt autem majoris perspicuitatis gratiâ membra ejus constitui sex.*

I. Exponit causas symptomatum, quæ fiunt in actione πεπ[τι]κῆ, concoctrice. Cap. 1.

I I. Differit de causis symptomatum, quæ apparent in actione καθεκτικῆ καὶ ἐκκριτικῆ, retentrice & expultrice. Parte priore Cap. 2.

I I I. Ostendit causas læsæ actionis ἑλκτικῆς, attractricis. Ibidem.

I V. Causas monstrat læsæ ἀναδόσεως, distributionis alimenti. Ibidem.

V. De causis agit læsionis διακριτικῆς, secretricis actionis. Ibidem.

V I. Causas enumerat actionis θρεπτικῆς, nutritivæ. Ibid.

In secundâ *causæ recensentur secundi symptomatum generis, quod est τῶν ἐκκρινομένων, ἢ κατεχομένων τοῦ σώματος.* Parte posteriore Cap. 2. nec non cap. 3. & 4.

Cujus iterùm novem sunt membra.

I. Causas edocet excretionis sanguineæ. Parte posteriore Cap. 2.

I I. Causas enodat vomitionum. Ibidem.

I I I. Causas palàm facit alvi dejectionum. Ibidem.

I V. Causas dat excretionis spirituum flatulentorum. Ibid.

V. Redit ad ventris dejectiones. Ibidem.

V I. De urinæ excretione & retentione tractat. Ibid.

V I I. Causas enumerat sudoris erumpentis & retenti. Ibid.

V I I I. Problema solvit, quo quæritur, cur læsâ aliquâ parte, non ex æquo omnes ejus actiones simul lædantur: sed aliæ magis: aliæ minùs: aliæ prorsùs non? Cap. 3.

I X. Quæ de excretionibus dicenda restant, absolvit. Cap. 4.

In tertiâ *causæ breviter attinguntur tertij symptomatum generis, quod est τῶν διαθέσεων, simplicium corporis nostri affectuum.* Parte priore Cap. 5.

In quartâ *appendicula quædam continetur, quâ ostenditur, quæ symptomata se necessariò consequantur, & quæ non: totique libro finis imponitur.* Parte posteriore Cap. 5.

T H E-

THESIS I.

CAUSAS symptomatum, quæ in animalibus deprehenduntur actionibus, *Galenus* præcedentibus duobus libris explicuit. Hoc tertio accedit ad illorum symptomatum causas, quæ naturalibus functionibus accidere solent: & simul etiam secundi ac tertij generis symptomatum causas enarrat.

2. Etsi autem causæ symptomatum actionum naturalium eâdem prorsùs methodo inveniantur, quâ animaliū: præstiterit tamen fortassis in earum quoque speciebus exercitari: quemadmodum etiam in ijs, quæ functionum sunt animalium, exercitati fuimus. *Cap. I.*

Partis primæ membrum primum.

3. Fons igitur & principium, ex quo omnes causæ, quæ facultatibus nocent, inveniuntur, est ἡ γνῶσις τοῦ τρόπου, καθ' ὃν ἐνήργουν ὑγιαίνουσαι, cognitio modi, quo sanitatis tempore suas perficiebant actiones. *Cap.* 1.

4. Ordiamur à facultate πεπτικῇ, concoctrice, & rem sic se habere deprehendemus.

5. Tres verò de modo concoctionis erant opiniones: quemadmodum etiam *Cornelius Celsus in proœm. l. 1.* docet. Alij enim, inter quos principem locum tenebat *Erasistratus*, velut ex *Gal. 2. de nat. fac.* patet, credebant, ventriculi concoctionem fieri τῷ τρίβειν, attritione. Alij, ut *Plistonicus*, *Praxagoræ* discipulus, putabant, ventriculum cibos concoquere τῷ σήπειν, putrefactione. Alij denique persuasum habebant, concoctionem ejus perfici alteratione: quorum in numero fuerunt *Hippocrates* & *Galenus*. Est enim concoctio ἀλλοίωσις κατὰ ποιότητα: fitque à ventriculo cibos sibi assimilante. *Cap. I.*

Quod-

6. Quodſi ergò *Eraſiſtrati* de ſententiâ concoctio fit *at-terendo*, impediri ac vitiari dicetur ventriculi actio, adeóq; concoctionis ſymptomata evenient, ſi cibos non rectè atterat. Nam ſi v.g. nil omninò atterit, nil etiam prorsùs concoquit: eritq; tùm concoctionis abolitio. Si verò depravatè conterit, depravata concoctio erit. *Cap.1.*

7. Eodem modo, ſi de *Pliſtonici* placito concoctio fit putrefaciendo, niſi rectè vẽtriculus cibos putrefaciat, ſymptomata ſequantur neceſſe eſt, nimirùm abolita & depravata concoctio. *Cap.1.*

8. Denique, ſi concoctio peragitur alterando, perſpicuum eſt omnibus, *ἀποτυχίαν*, ſeu aberrationem in alteratione concoctionis ſymptoma eſſe. Itaque Sole clarius eſt, cognitionem modi, quo facultates ſanitatis tempore ſuas actiones perficiebant, fontem ac principium eſſe invẽtionis omnium cauſarum, quæ facultatibus noxam inferunt. *Cap.1.*

9. Ceterùm, cùm duæ priores de concoctione opiniones à veritate alienæ ſint; tertia verò, & rationi, & authoritati veterum Medicorum cõſentanea: ideò illa nobis amplectenda: ac de illius præſcripto concoctionis ſymptomata inquirenda.

10. Sunt autem in univerſum tria: abolita, imbecilla, & depravata concoctio: vel, ſi malis, abolita & non abolita.

11. Abolita, cùm ſcilic. nulla prorsùs cibi in ventriculo fit alteratio, *ἀπεψία*, cruditas appellatur: non ſecus ac *ἀκινησία* καὶ *ἀναισθησία* in actionibus animalibus. Significant enim hæ voces *ἀπώλειαν* καὶ *στέρησιν*, abolitionem & privationem motûs & ſensûs. Quemadmodum ergò in ijs duobus ſymptomatibus animalis facultas ſuis omninò actionibus eſt deſtituta atque privata: ſic quoque concoctrix in cruditate. *Cap.1.*

12. Non abolita, quâ quidem aliqua cibi fit in ventriculo al-

lo alteratio: ἀλλ' οὐχ ὡς προσῆκε, sed non, ut oportet. Vocatur quidem & ipsa ἀπεψία: verùm ἀκύρως Κυρίως enim hoc nomine venit omnimoda concoctionis privatio. *Cap. I.*

13. Quomodo ergò nominanda? Respondet *Galenus* κακώσεως nomen eam mereri: sed non solam: verùm & concoctionem depravatam, quâ cibus in alienam mutatur qualitatem. *Cap. I.*

14. Inquit enim, κάκωσιν hanc esse duplicem: unam, quâ cibus in ventriculo tardè longioríque tempore & vix mutatur. Græcis appellatur βραδυπεψία: Latinis tarda & debilis concoctio. Alteram, quâ cibus planè corrumpitur, nullúmque omninò à naturâ ornatum recipere potest: quæ proprio nomine caret. *Cap. I.*

15. Hæc concoctionis symptomata unam communem habent causam: nempè τὴν τῆς ἀλλοιώσης δυνάμεως ἀποτυχίαν τοῦ σκοποῦ, alteratricis, sive concoctricis facultatis aberrationem à scopo. *Cap. I.*

16. Aberrat autem à scopo bifariam: Uno modo, quando facultas ipsa laborat. Altero, ubi externus aliquis error accidit. *Cap. I.*

17. Uterq; horum modorum rursus dividitur. Etenim facultas ipsa dupliciter læditur ac laborat. Uno modo διὰ τὴν ἑαυτῆς οὐσίαν, propter suam essentiam: altero, διά τι νόσημα τῶν ὀργανικῶν, propter morbum aliquem organicum. *Cap. I.*

18. Externus error, ἔξωθεν πλημμέλεια, triplex est. I. in ventriculi excrementis: quæ vel in ipso ventriculo nata sunt: vel in eum confluxerunt. II. in cibis. III. in tempore somni: quod justo brevius. Somnum enim legitimâ ratione factum, & ventriculi, & reliqui corporis concoctionem promovere, *cap. ult. l. 1. sympt. caus.* dictum fuit. *Cap. I.*

19. Quæ in propriâ facultatis essentiâ noxæ eveniunt, intemperies quædam sunt qualitatum effectricium. Quæ vero ab

ro ab organicis oriuntur morbis, ſunt eryſipelata, œdemata, phlegmonæ, ſcirrhi, abſceſſus, carbunculi, & id genus alii; tùm ſimplices, tùm compoſiti ventriculi morbi. *Cap.1.*

20. Horum vitiorum cauſâ ventriculus malè concoquit; propterea quòd facultas ejus cōcoctrix læditur: per intemperies quidem qualitatū propria facultatis eſſentia: per alios verò morbos, qui ſimplices ſunt, & citra intemperiem in ventriculo conſiſtunt, facultas duntaxat impeditur. Per morbos ex intemperie & organico morbo compoſitos utroque modo, lædendo & impediendo actionem, noxa infertur. Actionem enim lædunt, quâ ſunt intemperies: eandem verò impediunt, quà morbi ſunt organici. *Cap.1.*

21. Atque his omnibus de cauſis ventriculus malè concoquit, etiamſi in rebus externis minimè peccetur. *Cap.1.*

22. E contrario, animal non concoquit, ventriculo nequaquam affecto: ídque ob errores externos: quorum *Galenus 6.* enumerat. I. πλῆθος ἄμετρον ἐδεσμάτων καὶ πομάτων, immodicam ciborum & potuum quantitatem. II. ποιότητα μοχθηρὰν, pravam eorum qualitatem. III. ἀκαιρίαν intempeſtivam ſumptionem. IV. ἀταξίαν, præpoſterum ordinem. V. περίττωμα φαῦλον, vitioſum excrementum, quod in ventriculo genitum, aut aliunde ad illum delatum. VI. ὕπνον ὀλίγον, ſomni brevitatem. Hi enim errores faciunt, ut ventriculus ſuo officio in concoquendo minimè fungatur, etſi ipſe nullo morbo ſit affectus.

23. Notandum autem, ea, quæ ob vitioſas ciborum qualitates, & prava ventriculi excrementa minimè concocoquuntur, cruda eſſe μετὰ διαφθορᾶς, cum corruptione. Cujus tamen corruptionis & cruditatis etiam cauſa eſſe poteſt præpoſterus ordo & intempeſtiva ſumptio. Appellat autem *Gal.* præpoſterum ordinem, ſi v. g. adſtringentia præmittantur laxantibus: ſicca hnmidis: δύσπεπτα εὐπέπτοις. Intempeſtivam verò ſumptionem nominat, ſi manè, priuſquam cibus heſternus probè deſcenderit, ac in ventricu-

triculo concoctus fuerit, vel etiam paulò ante corporis motum prandeatur. *Cap.1.*

24. Hæ sunt communes symptomatum, quæ concoctrici accidunt facultati, causæ. Sequuntur propriæ, & primùm quidem concoctionis depravatæ.

25. Sunt autem corruptelæ, sive depravationes duæ: una κνισσώδης, quę nidorē, hoc est rei tostæ & ustæ odorem refert: altera ὀξώδης, quæ acida est. Ex quibus illa quidē à calidis & biliosis procreatur cibis: hæc à frigidis & phlegmaticis. Eadémque ratio est excrementorum. Frigida namque & phlegmatica acidas pariunt corruptelas: calida verò & biliosa nidorosas. Idem namque & in ventriculi morbis usuvenire solet. Calidi quippe illius morbi corruptelas faciunt κνισσώδεις: frigidi ὀξώδεις. *Cap.1.*

26. Tardæ concoctionis, quæ βραδυπεψία dicitur, causæ sunt τὰ δυσδιάφθαρτα, quæ ægrè in ventriculo corrumpuntur. Hæc enim cùm facultatem concoctricem, aut somnum superent, qui non parum concoctionē juvat, accidit, ut longiori temporis spatio pro sui mutatione opus sit. *Cap.1.*

27. Cruditatis, quæ citra corruptelam accidit, adeóque πέψεως est στέρησις παντελὴς, omnimoda concoctionis privatio, duæ sunt causæ: Una immodica cibi quantitas, quam infirma facultas vincere nequit. Altera vehemens ventriculi frigiditas. Propter has enim causas ventriculus cibum planè conficere non tentat. *Cap.1.*

28. Hæc de causis symptomatum, quæ observantur *in concoctione primâ*, ipsius scil. ventriculi. Nunc ad causas eorum, quæ *secundæ* & *tertiæ concoctioni* accidunt: ex quibus secunda quidem in vasis: tertia verò in mole totius corporis celebratur. *Cap.1.*

29. Habent verò duæ istæ concoctiones tot symptomatum genera, quot habuit prima: nempe *concoctionis privationem*, *imbecillitatem*, & *corruptelam*, sive *depravationem*.

Ratio eſt: quia quam proportionem habēt cibi & potus ad ventriculum: eandem habet ad venas alimentū, quod ex ventriculo in ipſas diſtribuitur: & ad carnes reliquámque molem corpoream, quod ex venis ad eam derivatur. Ut enim cibi ac potus diverſa in ventriculo generant ſymptomata, quemadmodum θ. 22. oſtenſum: ita quoque ea, quæ ex ventriculo deducuntur in venas. *Cap. 1.*

30. Hæc autem omnia ὁ τῆς πέψεως τρόπος, uti ſuprà dictum, nobis indicat. Nam ſi cognoverimus, cauſam alterationis ciborum non eſſe, niſi quandam κρᾶσιν, quæ ex quatuor elementis conſtat, & quæ proprietatem ventriculi conſtituit: & quòd ad hanc ciborum alterationem plurimùm conferat τὸ θερμὸν ϛοιχεῖον, facile nobis erit, cruditatis, ſive ἀπεψίας cauſas invenire. Quæ enim hanc temperiem evertunt, adeóq; proprietatem ſubſtantiæ lædunt, ea quoque cruditatem pariunt. *Cap. 1.*

31. Sunt igitur tot ſymptomatum genera in ſecundâ & tertiâ cōcoctione, quot obſervantur non modò in concoctione primâ, ſed etiam in reliquis omnibus actionibus: nimirùm ἀπώλεια, ἢ ϛέρησις τῆς ἐνεργείας, abolitio, ſeu privatio actionis: ἀτελὴς καὶ ἐλλιπὴς ἐνέργεια, imperfecta & deficiens actio: denique μοχθηρὰ καὶ πλημμελὴς ἐνέργεια, corrupta & depravata actio. *Cap. 1.*

32. Abolitio, ſeu privatio actionis in ventriculo eſt, quando cibi ne minimam quidem alterationem ſortiuntur. Deficiens concoctio conſiſtit ἐν ταῖς βραδυπεψίαις: corrupta ac depravata ἐν ταῖς διαφθοραῖς, in corruptelis. *Cap. 1.*

33. Abolitio concoctionis ſecundæ, quæ fit in venis, eſt, cùm humores ſunt παντάπασιν ὠμοὶ, omninò crudi. Deficiens, cùm ſunt ἡμίπεπτοι, ſemicocti. Depravata, cùm evaſerunt κακοὶ, vitioſi. *Cap. 1.*

34. Abolitio concoctionis tertiæ, quæ peragitur καθ᾽ ὅλην τοῦ ζῶου τὴν ἕξιν, in toto animalis habitu, poſita eſt in humoribus planè crudis. Deficiens in ſemicoctis. Depravata in

ta in vitiosis: ex quibus erysipelata, cancri, gangrænæ, phagedenæ, carbunculi, herpetes, aliaq; mala procreantur. *Cap*.1.

35. In nutriendi verò actione privatio actionis dicitur ἀτροφία. Deficiens nutritio, ἰσχνότης, gracilitas. Depravata nutritio in vililiginis speciebus & elephantiasi observatur. *Cap*.1.

36. Causæ horum symptomatum, quæ in secundâ & tertiâ concoctione deprehendũtur, ejusdem sunt generis cum ijs, quæ in vẽtriculo, primæ cõcoctionis ἐργαστηρίῳ, animadverti solent. Aliæ enim ad ἀῤῥωςίαν τῆς δυνάμεως ἀλλοιωτικῆς, concoctricis facultatis imbecillitatem: aliæ ad πλημμέλειαν τῆς τροφῆς, alimenti vitium: aliæ denique ad ἐπιτηδεύματα τε καὶ τὰ προσπίπτοντα τοῖς ζωοῖς ἔξωθεν, instituta vitæ, & ea, quæ extrinsecus animanti accidunt, referuntur. *Cap*.1.

37. Facultatis imbecillitates, quæ propriæ sunt, similarium partium intemperiem sequuntur. Quæ non propriæ, organicos comitantur morbos. Proprios vocat *Gal*. quæ fiunt, ubi propria facultatis substantia, quam quatuor elementorum κρᾶσις constituit, læditur. Non læditur autem, nisi intemperie. Non proprias appellat, quæ fiunt substantiâ facultatis illæsâ. Hæ, uti dictum, sequuntur morbos organicos, quæ facultatis actiones non lædunt, sed tantùm impediunt. *Cap*.1.

38. Alimentum vitiosum est duabus de causis. I. quia justo est copiosius. II. quia pravâ aliquâ qualitate præditum. *Cap*.1.

39. Studiorum, sive vitæ institutorum, & eorum, quæ foris occurrunt vitia atq; errores accidunt itidem duabus de causis; vel quia ἀτάκτως præpostero ordine adhibentur: vel quia ἀκαίρως, intempestivè usurpantur. Intelligit autem *Galen*. ut ipsus interpretatur, per τὰ τὰ ἐπιτηδεύματα equitationem v.g. piscationem, venerea, balnea, deambulationes, navigationes, venationes: breviter, vivendi ratio-

 nem,

nem, vel genus institutumve vitæ, hoc est, artem, quam quisque exercet. *Cap.*.

40. Porrò, non satis est Medico, ut sola agnoscat symptomata, ipsorúmque generationem inveniat: sed requiritur, ut etiam modum generationis sciat, habeátque exploratum, quo in loco numeróque causarum effectricium illa contineatur. V. g. non sufficit, nósse, num ventriculus nihil concoxerit: sed etiam scire decet causam, cur non concoquat: an scil. in causâ sit infirmitas facultatis concoctricis? an immodica cibi copia? an prava ejusdem qualitas? Hæ enim omnes causæ cruditatem & ἀπεψίαν pariunt. *Cap.1.*.

41. Sunt autem Medico propterea cognoscendæ, ut hinc rectam instituere medendi rationem queat. Etenim, symptoma concoctionis primæ, quod ex multis & pravis cibis nascitur, facilè corrigitur. Quod verò ob summam concoctricis facultatis imbecillitatem genitum, in lienteriam, aut eam hydropis speciem finitur, quæ τυμπανίας appellatur. *Cap.1.*.

42. Pari ratione in concoctione secundâ, quæ fit in hepate & venis, non solùm ἀποτυχίαν αἱματώσεως cõsiderare oportet: sed etiã quam ob causam accidat? num scil. ob sanguificæ facultatis, quę hepati est indita, & ab eo venis communicata, imbecillitatem: an ob crudorum frigidorúmq; humorum, qui ex ventriculo in hepar & venas sunt distributi, multitudinem eveniat? Posterius enim symptoma ἰώατον est: prius autem in hydropem transit. *Cap.1.*

43. Similiter in tertiâ concoctione, quæ peragitur in carnibus totiúsque corporis habitu, evenire solent symptomata. Nam qui ex morbo liberati jam convaluerunt, si statim se immodicè satient, crudorum humorum copiã congregant. Facultas enim adhùc à morbo debilis, tantam ciborum copiam concoquere nequit. Quare φυσώδεις καὶ ὑδαλέοι ὅλην τὴν ἕξιν, flatulenti, totóq; corporis habitu turgi-

turgidi, hoc est, cachectici redduntur. Propter debilitatem verò facultatis alteratricis eâ hydropis specie corripiuntur, quæ anasarca nominatur. *Cap.* 1.

44. Deijciunt autem alteratricem facultatem omnes magnæ intemperies. Et frigidæ quidem frigida: calidæ calida: humidæ humida; siccæ sicca gignunt παθήματα. *Cap.* 1.

45. Omnibus autem commune est, ut in ijs maxima sit à statu naturali mutatio. Hinc est, quòd in maximâ ventriculi intemperie frigidâ, actio ventriculi concoctrix prorsùs pereat: adeò ut etiam in cibos mediocri quãtitate sumptos, sibíq; consuetos, nihil omninò agat. In calidissimâ autem cibi corrumpuntur, & in alienam qualitatem mutantur, quæ nidorem refert. Quilibet tamen cibus corruptus pro suâ naturâ odorem exhibet. Alius enim, si corrumpatur, βρῶμον ϗ βόρβορον, virulentiam, aut cœnum, lutumve olet. Alius odorem crudorum piscium, aut putredinis cujusdam inexplicabilis & alienæ repræsentat. Nullus enim est cibus, qui vehementer calefactus, sine putredine permanere possit. *Cap.* 1.

46. Qui verò calidâ ventriculi intemperie laborant, immodicâ siti torquentur, & interdum levibus parvísq; hecticis febribus corripiuntur. Qui frigidâ infestantur, neq; sitiunt, neque febricitant, & ipsorum ciborum exactas qualitates, sive ructent, sive vomant, percipiunt. Ratio est: quoniam cibus in hac intemperie ne minimam quidẽ alterationem, aut concoctionem patitur. Hæc enim per eam prorsùs aboletur. Quod si tamen aliquâ saltem ex parte cibi alterentur, quod fit, si intemperies non fuerit extrema, & ciborum natura vel medij temperamenti, vel frigidioris extiterit, ructus acidi excitabuntur. Si verò temperamento fuerint calidiore, aut etiam naturâ flatulenti, tùm ventriculus vaporoso spiritu implebitur. *Cap.* 1.

47. Et in has quidem duas intemperies, calidam & frigidam, ventriculus διὰ βραχέων, brevi labitur. Ut verò in

 pæsi-

passivis, humiditate scilic. & siccitate, eò intemperiei perveniat, ut actionem suam amittat, οὐκ ἄνευ χρόνου παμπόλλου, non nisi multo tempore fieri potest. Ratio est: quia activæ qualitates sunt efficacissimæ: passivæ non item. *Cap.* 1.

48. Quodsi tantam contrahere debet ventriculus humiditatem, aut siccitatem, ut hinc suam actionem perdat, necesse est, ut illam hydrops præcedat: hanc verò senectus, vel μαρασμὸς antegrediatur. *Cap.* 1.

Partis primæ membrum secundum. 49. *Hæc de causis symptomatum, quæ accidere consueverunt in actione πεπτικῇ, concoctrice.* Accedamus ad illas, quæ in καθεκτικῇ, *retentrice* eveniunt. *Cap.* 1.

50. Fiunt autem in eâ tria prima symptomatum genera: I. est Abolitio; cùm μηδ' ὅλως, nihil prorsùs facultas retinet. II. Debilitas: cùm ἐλλιπῶς, ἢ ἀῤῥώστως, retinet. III. Depravatio: cùm retinet πλημμελῶς *Cap.* 2.

51. Abolitam, aut debilem retentionem duo alia symptomata sequuntur: πνευματώσεις τε καὶ κλύδωνες, inflationes & fluctuationes. Inflationes quidem, ubi cibi fuerint flatuosi, & ventriculus non admodùm frigidus. Fluctuationes verò, h. e. inordinati, errantes, vagive ciborum in ventriculo, fluctuum instar in mari excitatorum, motus, cùm nihil in ventriculo continetur, quod in flatum verti possit: aut cùm ventriculus ipse vehementer est refrigeratus. Hæc enim illius intemperies nullum gignere flatum valet. Necessarium autem est, ut ad generationem fluctuationis etiam potus accedat. Sine hoc enim fluctuatio fieri nequit. Causa verò, quòd ventriculus extremè debilis sit, morbus est: & is quidem vel similaris: qualis est intemperies: vel organicus: ut tumores præter naturam. De motibus autẽ ventriculi depravatis, tremulis scil. palpitantibus, concussorijs, & convulsorijs, dictum *l. de sympt. diff.* De causis verò illorum *l. 2. de sympt. caus. c. 2.*

52. Observandum autem, tùm morbos, tùm symptomata retentricis & expultricis facultatis quandoque misceri: id

id quod singultûs exemplo declarare licet: qui veluti convulsorius quidam motus est; quanquam exquisitè convulsio non sit. Hæc enim solis musculis inest. At neque ventriculus, neque illius στόμαχος musculus est. *Cap.2.*

53. Quòd autem in singultu utriusque facultatis symptomata concurrant & misceantur, ex eo patet: quia neq; retentrix, neque expultrix probè suo munere funguntur. Non retentrix: quoniam ventriculus, cùm singultit, μοχθηρῶς, καὶ οὐ κατὰ φύσιν cibos complectitur. Non expultrix: quia motus iste depravatus, qui convulsorius est, ei competit πρώτως, dùm aliquid eorum, quæ molesta sunt, propulsare conatur. *Cap.2.*

54. Cæterùm, non propterea idem motus est vomentibus ac singultientibus; quia neq; idem est affectus. Nam in vomitionibus laborantes excernunt ea, quæ in εὐρυχωρίᾳ, capacitate ventriculi continentur. In singultu verò illa, quæ in ventriculi sunt corpore. *Cap.2.*

55. Similis proinde in singultu motus & affectus est illi, qui tussim excitat, intemperies frigida. Quemadmodum enim affectus iste propriam organorum respiratoriorum substantiam occupat: sic ille, qui singultum movet, ventriculi corpus obsidet. Et quemadmodum tussis motus est, quo organa respiratoria à se, quod molestum est, excutiũt: sic singultus motus est ventriculi, quo omnes ejus partes id, quod eas infestat, expellunt. *Cap.2.*

56. Hanc ob causam singultus ijs, quibus ventriculus refrigeratus est, accidit. Item, qui piper, aut simile aliquod medicamentum calidum devorârunt, ac deinde calidam superbiberunt potionem. Magis autem vehementiúsq; singultiunt, ubi piper in subtilem redactum fuerit pulverem. Hoc enim altiùs in ventriculi corpus penetrat. Eadémque ratio est aliarum rerum singultum parientium, sive calefaciant, sive refrigerent. Intensiùs enim singultire cogunt hominem, si altiùs in ventriculi substantiam ingredian-

diantur. Qui ſingultus πρώτως expultricis facultatis motus eſt depravatus: δευτέρως verò etiã retentricis & amplexatricis: quarũ illa καθεκτικὴ; hęc περιςαλτικὴ nominatur. *Cap.* 2.

57. Ad depravatos ventriculi motus referuntur etiam nauſea & vomitus. Per hæc enim ſymptomata ea, quæ ventriculi os infeſtant, quàm celerrimè per gulam evacuantur. *Cap.* 2.

58. Simile ſymptoma λειεντερία eſt. In hac enim, ſi ventriculus à re vel mordaci, vel gravante moleſtetur, facultas ejus expultrix inſurgit, & quod noxium eſt, per inferiora ſtatim ejicit. *Cap.* 2.

59. Unde manifeſtum fit omnibus, cùm ventriculus duo habeat orificia: ἄνω μὲν τὸ κατὰ τὸν ςόμαχον, quod poſitum ad gulam, & græcè καρδιά vocatur: κάτω δὲ τὸ κατὰ τὸν πυλωρὸν, quod locatum ad illius oſtium, & janitor dicitur; ad utrum horum id, quod moleſtiam creat, vergit, eo illum ad expulſionem uti. In vomitu enim ſuperno: in lienteriâ vero inferno utitur. Quod ſi in toto ventriculo res moleſta contineatur, utrumque orificium uſurpat. Id quod fieri videmus ἐν ταῖς χολέραις, in quibus ventriculus uno tempore ἄνω καὶ κάτω quæ affligunt excernit. *Cap.* 2.

Partis prima membrum tertium.

60. *Sequitur facultas* ἑλκτικὴ, *attractrix*, cujus ſimiliter tria ſunt ſymptomatum genera: abolita ſcil. debilis & depravata attractio. *Cap.* 2.

61. Abolita eſt, cùm facultas cibos μηδ' ὅλως, omninò attrahere nequit; vocatúrq; hujuſmodi ſymptoma ςομάχου παράλυσις, reſolutio gulæ. Debilis eſt, cùm cibos trahit μόγις, difficulter. Quo quidem tempore incipit gula reſolvi & enervari: nondum tamen planè reſoluta eſt. Depravata eſt, cùm trahit πλημμελῶς, vitioſè. De motibus autem depravatis *l. 2. ſympt. cauſ. & l. de ſympt. diff.* dictum fuit. Dicta igitur non repetenda. *Cap.* 2.

62. Accidit autem aliquando, ut carnoſum aliquod germen, qualia ſæpè in externis partibus viſuntur, in gulâ naſcatur,

ſcatur, quod vel omninò viam ciborum obſtruat: vel ſaltem aliquatenus lædat. Vocantur autem ejuſmodi βλαςήματα h.e. germina, νοσήματα ὀργανικά: de quibus *l. de morb. diff.* actum. *Cap. 2.*

63. Porrò, duplex eſt ventriculi motus: naturalis & præter naturam. Naturalis eſt, qui ventriculo ſecundum naturam ſe habenti ineſt. Trahit autem ad ſe è ſupernis per gulam: & per inferna excernit. Præter naturam eſt, qui competit ventriculo præter naturam affecto. Eo enim aliquid ab infernis aſſumit. Viſi namque ſunt, quibus injecti clyſteres adeò aſcenderunt, ut vomitu ejecti ſint. In lethalibus etiam volvulis fæces eadem de causâ per vomitum emittuntur. *Cap. 2.*

64. Satius verò eſſe arbitratur *Galenus*, ut exiſtimemus ventriculum in hujuſmodi affectibus οὐχ ἕλκειν, non trahere, ſed δέχεσθαι μόνον, ſuſcipere duntaxat id, quod ab inteſtinis violenter comprimentibus ſurſum fertur. His quippe περιςολὴ, conſtrictio, ſecundum naturam ineſt: eáq; cibum ad infernas partes propellunt. In quibuſdam verò affectibus, cùm motus περιςαλτικὸς, conſtrictorius, ab infernis partibus inceperit, contenta ſurſum feruntur. *Cap. 2.*

65. Cæterùm, quemadmodum clyſteres interdum aſcendunt, non quidem, uti modò dictum, ventriculo trahente, ſed ſolùm ſuſcipiente; ídque ob inverſum inteſtinorum motum περιςαλτικὸν, qui non, ut in ſtatu naturali evenire ſolet, fit deorſum, nimirùm contractione, ſive conſtrictione, quæ tranſverſarum orbiculariumve fibrarum adminiculo perficitur, ſupernè incipiente, & ad ima uſq; progrediente: ſed planè contrario modo, contractione initium faciente infernè, & progrediente ſurſum, adeòque eò propellente, quicquid infrà continebatur: ſic quoque acris quiſpiam humor, qui ad ſedem uſque deſcendit, violenter propter occupationes, quas deſerere non licuit, retentus,

iterum ascendit, & ventriculum momordit, capútque evaporando implevit: motûs principio sumpto à sphynctere, constrictorio recti intestini musculo; ab hinc verò quolibet intestino à se ipso ad id, quod supra se est, propellente: simili modo, quo priùs propellebat deorsum in motu περισαλτικῷ naturali. *Cap.2.*

66. Hac eâdem ratione flatus quoque interdum violenter retentus sursum recurrit: ut mirum non sit, si etiam clysteres & alvi fæces in tam violentis intestinorum περισολῆς, constrictionibus, ad ventriculum præter naturam ascendant, & per vomitum deinde excernantur. *Cap.2.*

67. Diximus, inesse quendam motum περισαλτικὸν intestinis præternaturalem, qui fiat ἄνωθεν, motu constrictionis incipiente infernè, & progrediente sursum. Verùm sciendum, alios etiam illis concessos esse, & quidem naturales planè, propulsorios appellatos: quòd supernè incipiant, & ad ima usq; progrediantur, contentáq; deorsum propellant. Eos tamen, siquidem lædantur, inter symptomata numerari, & triplex quidem genus constituere. Aut enim planè abolentur: aut deficiunt solùm & minuuntur: aut depravantur. *Cap.2.*

68. Abolitus intestinorum motus, qui omnimoda περισολῆς, contractionis, est privatio, maximum symptoma est. Ejus exemplum habemus in Ileo: in quo vel propter tumorem, vel propter σκύβαλον in aliquo intestinorum tenuium anfractu impactum, excrementa superiora descendere nequeunt. *Cap.2.*

69. De motu intestinorum deficiente & depravato dicere nil attinet. Respondent enim motibus ventriculi, de quibus suprà actum. Quin & causæ horum symptomatum causis, quæ ventriculo accidunt, proportione respondent: & vel sunt intemperies: vel tumores præter naturam: vel excrementa, quæ in intestinis continentur. *Cap.2.*

70. Ideò

70. *Ideóq; progrediendum nobis ad facultatem illam*, quæ *ἀνάδοσις*, *distributio alimenti* appellatur. Hæc enim naturale quoddam opus est: quo alimentum ex ventriculo in hepar: & ex hepate in totum corpus distribuitur. *Cap.2.*

Partis primæ membrũ quartum.

71. Monstratum autem in *opere de nat. fac.* perfici eam, cùm quælibet particula proprium ac peculiare sibi alimentum attrahit. *Cap.2.*

72. Et symptomata, quæ in eâ obfervantur, itidem triplicis sunt generis: abolitio, diminutio & depravatio distributionis. Abolitio, cùm dictis ex partibus *ὐδ᾽ ὅλως*, nihil quicquam distribuitur. Depravatio, cùm *ἐλλιπῶς*, non satis copiosè distribuitur. Depravatio, cùm *μοχθηρῶς*, mali aliquid & vitiosi distribuitur. *Cap.2.*

73. Causæ horum symptomatum, sicut & præcedentium, sunt tres. *Prima* est, *δυσκρασία τῶν ἑλκόντων*, intemperies aliqua partium trahentium: quæ facultatem reddit debilem, ut vel omninò nihil, vel debiliter distribuat. *Secunda*, *νόσημά τι ὀργανικὸν*, v. g. tumor præter naturam, aut obstructio: quorum utrumq; vias, per quas alimenta distribuuntur, intercipit & intercludit, adeóq; *ἀνάδοσιν* impedit. *Tertia*, *τῆς τροφῆς μοχθηρία*, pravitas alimenti: nimírum crassities, aut lentor. Crassum namque lentúmq; alimentum angustiores permeare vias nequit: aut in illis tenaciter hæret. *Cap.2.*

74. *Pergamus ad symptomata facultatis διακριτικῆς*, secretricis, quæ ad excrementa pertinet.

Partis primæ membrũ quintum.

75. Hujus similiter symptomata sunt tria: abolitio, diminutio, & depravatio. Causæ quoq; triplices sunt. I. *ἡ τῶν ἐκκαθαιρόντων τὰ περιττώματα μορίων ἀτονία*, partium, quæ excrementa expurgant, imbecillitas. II. *ἡ στενοχωρία τῶν ὁδῶν*, viarum angustia. III. *ἡ μοχθηρία τοῦ περιττώματος αὐτοῦ*, excrementi ipsius malitia. *Cap.2.*

76. *Imbecillitatis* causa est intemperies. Hæc enim facultatẽ lædit, quò minus excrementa à bonis & utilibus separare

parare

parare queat. *Angustia viarum* causa est, vel obstructio, vel tumor aliquis præter naturam. Verùm tumoris causa est ῥεῦμα χυμῶν, fluxio humorum, quæ in ipsum organorum corpus procumbit. Obstructionis verò, aut germen aliquod: aut crassities lentorve humorum. *Excrementorum malitia* posita est in eorum multitudine, crassitie, & lẽtore. Multa enim, crassa, & lenta glutinosave meritò prava censentur. *Cap.2.*

77. Sunt autem in secundâ concoctione excrementa tria: bilis amara: melancholia: & serum. Bilem expurgat vesicula fellea, quæ hepati subest: melancholiam lien: serum renes. Quare, si singula, prout decet, per prædicta ὄργανα fuerint expurgata, nulla in διακρίσει eorum eveniunt symptomata. Sin minùs, causam, cur idipsum non fiat, subesse oportet. *Cap.2.*

78. Est verò illa triplex: I. ἡ ἀῤῥωστία τῶν οἰκείων ὀργάνων, propriorum instrumentorum imbecillitas, quam ex intemperie aliquâ cõtraxerunt. II. ἡ στενοχωρία τῶν ὁδῶν, angustia viarum, per quas excrementa vel trahuntur, vel excernuntur. III. τὸ πλῆθος τοῦ περιττώματος, excrementi copia, quæ tanta est, ut expurgari ab instrumẽto non possit. Tùm siquidem necesse est, ut quod non est ab utili sanguine separatum, unà cum eo per totum corpus deferatur. *Cap. 2.*

79. Copiosi verò excrementi causa duplex esse potest. Una, ἡ ἀλλοιωτικὴ δύναμις οὐ καλῶς διακειμένη, alteratrix facultas malè affecta. Altera, ἡ τῶν ἐδεσμάτων μοχθηρία, ciborum pravitas. *Cap.2.*

80. Quòd lædatur facultas, partium intemperies in causâ est. Hæc enim facit, quò minus alimentum rectè concoquatur. Ciborum pravitas in singulis excrementis propria est. Etenim cibi, ex quibus melancholicum generatur excrementum, naturâ magis melancholici sunt: ex quibus serosum, magis aquosi: ex quibus biliosum, magis biliosi: atque ob id mali. In singulis itaque excrementis pro-

propria eſt ciborum pravitas, ex quâ fuerunt genita. *Cap.* 2.

81. Intemperies, cujus ratione læditur facultas, non minùs, ac ciborum pravitas, excrementorum cauſa exiſtit. Et calida quidem interdum bilioſum, interdum melancholicum, h.e. atrabilarium, producit. Frigida verò vel pituitoſum, vel aquoſum gignit. *Cap.* 2.

82. Singula verò excrementa propria ſymptomatis ſpecies comitatur. Nam flavam bilem, ſiquidem in toto corpore redundet, ictėrus ſequitur: ſi verò in unâ duntaxat parte redundet, eryſipelas, aut herpes. Melancholiam ſequitur elephantia, ſi totum corpus occupet: ſin aliquam ſolùm partem, cancer. Pituitam totum corpus infeſtantem ſequitur λευκοφλεγματία: obſidentem verò unum aliquod membrum, œdema: quod eſt tumor doloris expers & mollis. Seroſo excremento in univerſo redundanti corpore ſuccedit ἀσκίτης. Quod ſi ſupervacua in partes aliquas animantis procumbant, in ijs puſtulas, quas Græci φλυκταίνας καὶ φλυκτίδας, ἀπὸ τοῦ φλύειν, à bulliendo & efferveſcendo nuncupant, excitant. Sunt enim veluti bullæ, ſimiles ijs, quæ in corpore à fervidâ aquâ erumpunt. *Cap.* 2.

83. Et talia quidem ſymptomata accidunt, ubi redundantia excrementa fuerint εἰλικρινῆ, ſincera. Ubi verò vel inter ſe, vel cum ſanguine miſcentur, varias tùm morborum, tùm ſymptomatum ſpecies conſtituunt: quæ ex ſimplicibus facilè cognoſcuntur. *Cap.* 2.

84. *Sequuntur ſymptomata & cauſæ eorum*, quæ facultati θρεπτικῇ, nutritoriæ, eveniunt. De his enim etiam agere decet. Eſt enim Nutritio naturalium actionum prima, & propemodùm maximè neceſſaria: eſtque alteratricis actionis quædam ſpecies, & quidem quarta. Nam prima fit in ventriculo: ſecunda in hepate & venis: tertia in ſingulis partibus. His ſuccedit in ordine quarta, quam ἐξομοίωσιν,

Partis primæ membrum ſextum.

ἐξομοίωσιν, assimilationem vocant: diversum à nutritione nomen sortita: opus autem idem. *Cap.2.*

85. Sunt autem Nutritionis tria quoque symptomata. I. vocatur abolita nutritio, seu nutritionis privatio: quando nutritio μηδ' ὅλως, planè non fit. II. debilis, sive deficiens nutritio: cùm fit ἐλλιπῶς, debiliter. III. depravata, cùm peragitur πλημμελῶς, vitiosè. *Cap.2.*

86. *Omninò non fit*, propter imbecillitatem δυνάμεως θρεπτικῆς, cujus species quædam est ἡ ἀλλοιωτική: & propter ἔνδειαν τῆς ὕλης, defectum materiæ, h. e. alimenti. *Debiliter fit*, ob causas remissiores. Diminuta enim nutritio levius vitium est abolitâ nutritione: quam in ἀτροφίᾳ cernere licet. *Depravatè fit*, διὰ τὴν τῆς ὕλης μοχθηρίαν, propter alimenti pravitatem: uti in vitiligine & elephantiasi accidit. *Cap. 2.*

87. In his enim vitijs, cùm sanguis, qui omnium partium alimentũ est commune, carni agglutinatur (προσφύεται) caro talis est, qualis est sanguis. Pituitosa à pituitoso: melancholica à melancholico: biliosa à bilioso: breviter, temperata à temperato: intemperata ab intemperato. Neque enim idem est, carnem esse, & pituitosam, melancholicam, biliosam, temperatam, aut intemperatam esse carnem. *Cap.2.*

88. Quòd autem alimentum carnis immutet temperamentum ac colorem, h.e. carnem sibi reddat similem, animalium ἐναίμων & ἀναίμων, itémque reptilium, quæ verno maximè tempore generantur, carnes evidenter demonstrant. Nam caro τῶν ἐναίμων, rubra est: quia & sanguis, quo nutriuntur, rubet: τῶν ἀναίμων, vel alba, quòd pituitoso alantur nutrimento: ut locustarum & polypedum: vel viridis, ut reptilium, quòd viridibus herbis pascantur: vel alio colore tincta, prout alimentum eorum coloratum fuerit. *Cap.2.*

89. Nihil igitur mirum est, in vitiligine albâ, quæ λεύκη dici-

dicitur,ad albidius: contrà, in elephantiasi ad nigrius carnis colorem transmutari. Cùm enim caro longo tempore pituitoso simul & viscoso sanguine alitur, caro quidem adhùc manet: mutatur tamen ejus differentia, & in aliam ἰδέαν convertitur: fitque media inter eam carnem, quæ sanguine prædita est, & eam, quæ sanguine caret. Ubi verò ejusmodi reddita est, accidit illi, ut ne quidem deinceps allatum sibi alimentũ in rubram carnis speciem magis mutare tentet, quàm polypodes & locustæ. Hac occasione brevi temporis spatio & alba, & pituitosa evadit: cùm & ipsa alimentum in ruborem posthàc transmutare nequeat: & id, quod influit, pituitosum existat. Itaque qualem carnem ἐξ ἀρχῆς, ab initio statim locustæ, omniáq; propemodùm ὄστρεα, sive testacea, habent, talem ἐκ μεταπτώσεως, ex transmutatione, obtinent, qui ταῖς λεύκαις corripiuntur. Sic verò carnis vitium appellatur, nomine ab albo colore ipsi imposito: quemadmodum elephantiasi nomen datum ab elephante: ídque ob nigram tumidámque carnem, quæ talis fit, ob alimentum melancholicum, quod longo tempore ad eam confluit.

90. Alterum verò vitiliginis genus, ἀλφὸς dictum, cum jam nominatis vitijs convenit τῇ γενέσει, quæ ὁμοειδής: quoniam perinde ac illa, à vitioso alimento generatur. Differt autem τῷ ὑποκειμένῳ: quia in ἀλφῷ tota caro non laborat, sicut in elephantiâ & λεύκῃ: sed in cutis tantùm superficie, veluti quædam squama, infligitur. Estque is duplex: albus & niger. Ille ex pituitoso nascitur humore, adeóque colore τῇ λεύκῃ similis est. Hic ex melancholicâ materiâ procreatur, & colore elephantiæ respondetur. *Cap.2.*

91. Magna enim vis est alimentorum in carnium mutatione: adeò ut talis evadat, quale est nutrimentum ejus. Id quod etiam *Aristot.l.8.de hist.an.c.28.* docet, ubi regionũ meminit, in quibus pecora pro pabuli varietate, tùm in colo-

colore, tùm alijs in accidentibus, quæ ſenſui ſunt obvia, variant. *Cap.* 2.

92. At ſunt, inquies, *τὰ τρεφόμενα ὑπὸ τροφῆς ἀλλοιοῦσθαι* negant: hâc moti ratione: quòd alimentum nomen ſit *κρατουμένου*, victi, non *κρατοῦντος*, vincentis. Quod igitur vincitur & alteratur, carnem & reliquas corporis partes non mutat. Atqui alimentum vincitur & alteratur. Carnem ergò reliquúmque corpus non mutat. *Cap.* 2.

93. Reſpondet *Galenus*, qui huic rationi acquieſcunt, *μηδὲν ὑγιὲς*, nihil quod ſanum rectumve ſit, dicere poſſe, neque de mutatione, quæ fit in animalibus, neque de illâ, quæ in plantis celebratur; ſed de rebus, *ἅπασι ἐναργῶς φαινομέναις*, quæ omnibus liquidò apparent, dubitare. *Cap.* 2.

94. Nam quòd animalia pro alimenti varietate mutentur, jam dictum ex *Ariſtotele*. Quòd verò etiam plantæ pro ſoli pabulíque diverſitate varient, aliquot exemplis illuſtrari poteſt. Perſica quippe ſtirps in Perſide lethalis eſt: translata in Aegyptum exitioſam naturam deponit. Vites natæ in Aſiâ, ſi regionē mutent, vinum diverſum reddunt. De alijs ſtirpibus ſcripſerunt Authores rei ruſticæ & herbariæ, & tranſportatas ex alijs in alia loca, ſæpè etiam minori quàm duorum ſtadiorum intervallo, multis modis alterari tradiderunt. *Cap.* 2.

95. Oportet igitur eos, qui alimentum dixerunt eſſe nomen victi, alterati & mutati, non id modò noviſſe, ac dixiſſe: ſed etiam de generatione *τῆς λεύκης* diſſeruiſſe, ut hinc ſaltem in erroris ſui agnitionem veniſſent. Etenim *λεύκης* cauſa, vel eſt caro, quæ alitur: vel alimenti pravitas. At non eſt alimentum. Sic enim iſti volunt. Ergò eſt caro. Quærendum ergò, quid hæc ipſa patiatur, quòd alimentum *κατὰ πᾶν*, in univerſum ſibi non aſſimilet? Neceſſe autem eſt, ut hujus vitij naturam, h.e. facultatem, quæ aſſimilare non poteſt, cauſam eſſe reſpondeant. At multò melius eſt, alimento cauſam imputare. *Cap.* 2.

96. Cæ-

96. Cæterùm, ratio θ. 93. allata, quâ probatum, alimentum carnem alterare & mutare non posse, quòd victi nomen sit, facilè dilui potest. Etsi enim τὸ ὁμοιοῦν ἑαυτῷ τὴν τροφὴν officium sit τοῦ τρεφομένου σώματος: τὸ δ' ὁμοιοῦσθαι τε καὶ μεταβάλλεσθαι πάθος τῆς τροφῆς: h. e. licet corpus, quod alitur, nutrimentum vincat: nutrimentum verò à calore ejus corporis vincatur & mutetur: tamen vicissim alimentum etiam in corpus, quod vincit, aliquid agit. Ut hac ratione alimentum non sit omninò nomen κρατουμένου, victi: sed etiam aliquâ ex parte κρατοῦντος, vincentis. Constat enim, omnia, etiamsi ijs, quibus occurrunt, longè validiora sint, aliquid tamen αἰσθητὸν καὶ σαφὲς pati. Hoc enim non modò *Galenus*, sed etiam Philosophi, qui omniũ naturæ ἐνεργειῶν τε καὶ παθῶν ἐξηγηταὶ fuerunt gravissimi, demonstrârunt. *Cap.* 2.

97. Nam quamquam id, quod vicissim patiuntur, non statim κατὰ τὴν πρώτην ὁμιλίαν, ad primum occursum, appareat: progressu tamen temporis evidentissimè se oculis intuentium offert. Id quod *Galenus* aliquot exemplis declarat. *Cap.* 2.

98. *Primum* petitum est à ferro. Hoc enim, licet sit acutissimum, & ad secandum maximè idoneum; tamen cùm carnem etiam mollissimam secat, tandem obtunditur. Quod certè minimè fieret, nisi vicissim etiam aliquid à carne pateretur. *Secundum* à lapide. Durissimus enim ab aquæ guttis, diu in illum destillantibus, excavatur. *Tertium* à mixturâ earum rerum, quæ contrarijs præditæ sunt qualitatibus. Nam & in hac verum esse deprehenditur, quod agens nonnihil & ipsum agendo patiatur. Si enim in aquæ ferventis amphoram frigidæ κοτύλην inijcias, tùm mixtura non solùm κοτύλην, tanquam mensuram minorẽ, ab amphorâ, mensurâ majori, victam esse significat: sed etiam vincẽtem amphoram aliquid à victâ κοτύλη pati

indigitat. Ita, si quis in amphoram frigidæ aquæ κοτύλην calidæ conjecerit, vincetur sanè κοτύλη ab amphorâ, velut à mensurâ majore: attamen & pusillum quid amphora à κοτύλη patietur. *Cap.* 2.

99. Perspicuum ergò est, id, quod patitur, vicissim aliquid in id, quod agit, reagere. Manifestum etiam, τὴν λεύκην maximum esse alteratricis facultatis errorem. Fit enim propterea, quòd facultas nutrix, quæ alteratricis quædam est species, alimentum non ampliùs in rubram carnē mutare valeat. Præter hunc maximum errorem sunt & alij quidam: sed leviores: quibus caro plus justo humidior, siccior, frigidior & calidior evadit. *Cap.2.*

100. De causis depravatæ nutritionis satis. Dicendum aliquid de abolitæ, quæ ἀτροφία appellatur: cujus causæ sunt tres. I. ἀῤῥωστία τῆς ἀλλοιωτικῆς δυνάμεως, infirmitas facultatis alteratricis. II. ἀτονία τῆς ἑλκτικῆς, dissolutum robur retentricis. III. κίνησις ἄμετρος τῆς ἐκκριτικῆς, immodicus expultricis motus, quæ id etiam, quod utile est, & ex quo nutrimentum suum pars capere posset, excernit. *Cap.*2.

101. Excitatur autem expultrix ad immodicum motum trifariam. I. quando retentrix facultas διὰ πλῆθος περιττωμάτων, immodicâ excrementorum copiâ gravatur. Tùm enim excitata expultrix id, quod suâ copiâ molestum est, excernit. II. cùm eadem expultrix διὰ δριμύτητα περιττωμάτων, acrimoniâ superfluorū ad excretionem irritatur. III. cùm retentrix ἀσθενείᾳ imbecillitate laborat. Tunc enim necesse est, ut, quod retinere nequit, expultrix extrudat. *Cap.2.*

102. Propter has igitur causas accidit, ut quod utile est unà cum eo, quod superfluum existit, expellatur, adeóque corpus alimento suo privetur, & ἀτροφίᾳ laboret: quemadmodum fieri videmus in δυσεντερίᾳ, λειεντερίᾳ & χολέρᾳ. *Cap.*2.

103. Propter expultricis verò imbecillitatem, utpote quæ superflua expellere nequeat, carnem tùm humidiorem

rem, tùm περιτ]ωμα]ικωτέραν fieri necesse est. Propter alteratricis autem ἀτονίαν, alimentum probè alterare nequeuntis, accidit, ut multa excrementa procreentur. *Cap.2.*

104. Quodsi & ἑλκ]ικὴ multum humorem alliciat: & ἀλλοιω]ικὴ, eum, ut decet, minimè conficiat; & ἐκκρι]ικὴ remissiùs segniúsq; moveat, sequitur, ut in carne complura excrementa consistant: & pro excrementorum tùm qualitate, tùm quantitate aliâs alia caro generetur: modò quidem œdematosa: modò flatuosa: modò aquosa: qualis in ἀνασάρκα conspici solet. *Cap.2.*

105. *Explicatis causis primi symptomatum generis,* βεβλαμμένης scil. ἐνεργείας, læsæ actionis: consequens est, ut transeatur ad alterum, quod est, ut *Gal.l.de diff.symptom.c.6.* loqui tur, τῶν ἐκκρινομένων τοῦ σώματ@, ϗ κα]εχομένων παρὰ φύσιν, eorum, quæ præter naturam, vel à corpore excernuntur, vel in eodem retinentur. *Partis secundæ membrũ primum.*

106. Orditur autem *Gal.* ab ijs, quæ immodicè excernuntur: eáque ἐν τῷ ποσῷ ϗ ποιῷ consistere dicit. Alia enim solâ quantitate: alia verò qualitate præter naturã sunt, à quacunque tandem causâ proficiscantur. *Cap.2.*

107. Enumerat verò excretionis symptomaticæ sex causas. I. est βλάβη τις δυνάμεως, noxa aliqua facultatis, v.g. imbecillitas. II. ἐρεθισμὸς ἄκαιρ@, intempestiva irritatio, quæ fit ab acrimonia excrementorum. III. Κίνησις πλημμελὴς, pravus motus, expultricem concitans. IV. Ἀναστόμωσις, apertio alicujus instrumenti. V. Ῥῆξις, ruptio. VI. Διάβρωσις, instrumenti erosio. His enim modis sanguinis accidere solet excretio: quæ quia magnâ ex parte præter naturam est, haud abs re erit, à sanguinea excretione rem auspicari. *Cap.2.*

108. Omnes enim sanguinis vacuationes, ijs exceptis, quæ mulieribus emanant per uterum, ὅλῳ τῷ γένει παρὰ φύσιν εἰσὶ, toto genere præter naturam sunt. Menstruæ autem mulierum purgationes τῷ ποσῷ μόνον. *Cap.2.*

 109. Por-

109. Porrò ῥήξεως, ruptionis vasorum causæ sunt duplices: externæ & internæ. *Cap.* 2.

110. Externæ variæ sunt & multiplices. I. Plaga extrinsecus illata: aliquo homine vel calcitrante, vel percutiente, vel aliàs quomodocunq; validè feriente. II. Magnus saltus, qui vasa rumpit, vehementer tendendo ac concutiendo corpus. III. Casus ab alto in terram: qui plagæ instar vasa lædit. IV. Acutus & magnus clamor. Per illum enim partes organorum vocalium tenduntur, ac subinde rumpuntur. *Cap.* 2.

111. Internæ causæ in affectibus corporis latitant: cùm scil. quis ultrò, h.e. absque causa aliquâ προδήλῳ, manifestâ, sanguinem vel per nares excernit, vel vomit, vel tussiendo excreandòve reijcit, vel per alvum deijcit, vel mingit. *Cap.* 2.

112. Possunt autem internæ istæ causæ ad tres referri: ad *facultatis robur* : *sanguinis vitium* : & *vasorum sanguinem continentium noxam*. *Cap.* 2.

113. *Facultas* sanguineæ excretionis causa est, cùm vasa sanguinis recludit, & quod contristat ac molestum est, expellit. *Cap.* 2.

114. *Sanguis* bifariam vitiosus est. I. suâ qualitate, nimirùm acrimoniâ: quæ sæpè tanta est, ut vasa erodat. II. suâ quantitate, cùm adeò auctus, ut contineri ampliùs in vasis nequeat: ideóq; ea rumpit, atque recludit. *Cap.* 2.

115. *Vasa* sanguinem continentia vitium contraxerunt, ubi immodicè mollia, vel dura, vel tenuia fuerint. *Cap.* 2.

116. Fiunt autem talia, vel Φύσει εὐθέως ἐν τῇ μήτρᾳ, in primâ partium formatione, quæ fit in utero: vel extra uterum. Et mollities quidem à redundante humiditate provenit: durities à siccitate: tenuitas verò ab ἀτροφίᾳ. *Cap.* 2.

117. Vas, quod immodicè molle est, promptiùs propter suam imbecillitatem frangitur. Quod admodùm durum est,

est, facilè dissolvitur, eò quòd non possit ampliùs extendi. Quod tenue est, & ab internis, & ab externis causis, promptè rumpitur: idque propterea, quia debile, & quia extensionem non patitur. *Cap.* 2.

118. Verùm, non omnia vasa similiter eroduntur. Quod enim durum crassúmq; est, δυσπαθὲς ὑπὸ διαβρώσεως ἐστὶν, erosionē haud facilè patitur. Contrà, molle & tenue promptissimè eam admittit. Pari ratione, quod firmum, crassum & durum, difficulter recluditur: quod imbecillum, tenue ac molle, facilè. *Cap.* 2.

119. Reclusionis autem, sive apertionis vasorum, quam Græci ἀναστόμωσιν vocant, tres causæ sunt. I. Acris qualitas, quæ ora vasorum ad excretionem irritat. II. Copia sanguinis, ad ora vasorum impetu quodam ruentis & ad excretionem urgentis. III. Natura, seu facultas expultrix, quæ τὰ λυποῦντα excernit. *Cap.* 2.

120. Cæterùm sunt, qui supra ῥῆξιν, διάβρωσιν καὶ ἀναστόμωσιν vasorum, quartam sanguineæ excretionis causam addant, ipsam scil. διαπήδησιν, saltum Latinis dictum. Est autem haudquaquam quartum causę genus: sed vel ἀναστόμωσις ἀγγείων μικρῶν, exiguorum vasorū apertio: & sic sub ἀναστομώσει comprehenditur: vel non est species excretionis sanguinis veri ac legitimi: sed ὀῤῥοῦ εἶδος, cruenti potiùs seri genus: quale in ἀτονίᾳ hepatis per inferna dejicitur, & in renum infirmitate mingitur. *Cap.* 2.

121. *Vomitio etiam ad excretionum classem pertinet.* Ejus causæ sunt tres. I. Si in ventriculo contineantur, quæ illum suâ copiâ gravant: sive alimenta fuerint, sive excremēta. II. Si propter cruditatem alimentum, quod ingestum est, acidum, nidorosum, amarum, vel acre fiat. Tunc enim sua qualitate ventriculum infestat ac mordicat, atque adeò ad vomitum irritat. Id quod etiam accidit, ubi excrementa, quæ vel in ventriculo nata sunt, vel in hunc ex

Partis secundæ membrū secundum.

reliquo corpore derivata, fuerint biliosa, pituitosa, aut serosa. Nam & ista ventriculum ad vomitum stimulant. III. Si aliquid, quod solùm præter naturam est, in ventriculo contineatur; licet illum neque gravet, neque mordicet. Præter naturam verò est, quicquid, postcaquam concoctum est, alere nequit. Hac ratione non modò acida salsáque pituita: verùm etiam dulcis nonnunquam in ventriculo consistens, ipsum ad vomitum provocare solet. Sed & sanguis ipse, qui in ventriculo effusus est, eum vomere cogit. Inibi enim præter naturam consistit, & corrumpitur. *Cap. 2.*

Partis secundæ membrũ tertium.

122. ***Ad eandem excretionum classem*** spectat etiam ἡ διαχώρησις, dejectio, quæ fit per alvum. Est autem hæc varia & multiplex: *velox* scil. *tarda, multa, pauca, rara, & frequens*; eaque vel alimenti utilis, vel corrupti: quod aut è supernis partibus ad ventrem est derivatum: aut in eo genitum. *Cap. 2.*

123. ***Dejectio velox***, sive solitum tempus antevertens, causas habet quatuor. I. quia ventriculus propter multum ingestum cibum gravatur. II. quia acre aliquid ac mordens ventriculo inhæret, quod illum vellicando & pungendo ad celeriorem excretionem irritat. III. quia cibus assumptus alienus est minimèque familiaris. IV. quia cibus oblatus humidus est ac viscosus. Id quod tùm maximè accidere solet, ubi post talium ciborum ingestionem aliquis inambulaverit. Lenis enim deābulatio, leviter concutiẽdo corpus efficit, ut cibus citiùs descendat. Vehementior autẽ in causa est, ut cibus ante tẽpus in corpus distribuatur. *Cap. 2.*

124. Multus autem cibus trifariam dicitur. I. respectu facultatis: quæ se ipsâ imbecillior, quod assumptum est alimentum superare non potest. I. ratione qualitatis: quia mole suâ mediocritatem excedit. III. propter causam utramque. Id quod fit, ubi assumptum alimentum non solùm facul-

facultatem gravat: sed etiam mole ac quantitate sua mediocritatem excedit. *Cap.2.*

125. *Dejectio tarda* causas agnoscit quinque. I. est intestinorum imbecillitas, qua cibos protrudere nequeunt. II. Difficilis eorundẽ sensus: ob quem, quę molesta sunt, debiliter sentiunt. III. Ciborum paucitas. Cibi namque justo pauciores parum obtinent excrementi: ideóque non similiter gravant. IV. Ciborum qualitas. Ut enim humidi & viscosi cibi, sicuti dictum, propter lubricitatem suam promptè permeant: sic contrà crassi & acerbi, quòd obstruant, adstringant, & meatus, per quos transire necesse habent, angustiores reddant, tardè transeunt. V. Imbecillitas musculorum abdominis: præsertim si excrementa evaserunt duriora. Tùm quippe non solùm musculorum abdominis: verùm etiam thoracis violentâ actione opus est. *Cap. 2.*

126. Porrò, ***minus quàm pro proportione comestorum,*** redditur excrementum, ubi plus ex ipsis distributũ est in corpus. E contrario plus, quàm pro ratione ingestorum, dejicitur, duabus de causis. I. quia parum in corpus distribuitur. II. quia quædam è supernis corporis partibus ad ventrem defluunt. *Cap.2.*

127. *Dejectio assidua,* quæ scil. sæpè multúmque urget, & quasi perpetuò ad desidendum cogit, 3. agnoscit causas. I. Imbecillitatem retentricis: quæ propter intemperiem accidit. II. Acrium rerum morsum, qui expultricem irritat. III. *παράλυσις* sphyncteris intestini recti. Hic enim intestini istius finem stringit, ne assiduè ac præter voluntatem fæces excernamus. Quare eo resoluto, necesse est, involuntariam, intempestivam, inordinatam, atque assiduam excretionem fieri. *Cap.2.*

128. Sunt autem demorsûs eorum, qui in intestinis continentur, quatuor causæ. I. Vis medicamentosa, acris scil.

vel

vel falsa: quæ aut per se ipsam, aut unà cum cibis, quibus est admixta, assumpta est. II. Corruptela comestorum. III. Confluxus mordacium excrementorum ex toto corpore in ventrem. IV. Eadem excrementa in ipso ventre nata: quemadmodum accidit in dysenterijs, quæ à maligno cientur ulcere. V. Nimius intestinorum sensus: sive hunc à naturâ: sive ab ulceratione acceperint. Quæ enim exulcerata, ac cute nudata sunt, ea citiùs, quæ ipsis molesta sunt, sentiunt.

Partis secũdæ mẽbrũ quartum.

129. *Hæc de διαχωρήσεσι, dejectionibus alvi.* Nunc de *spiritibus vaporantibus*, sive *flatulentis*, quos Græci ἀτμώδη πνεύματα καὶ φύσας, flatus appellant. *Cap.2.*

130. Generantur flatus isti in ventriculo ex cibis, aut humoribus pituitosis, à debili calore in vapores resolutis. Absoluta enim veheménsq; frigiditas nullum prorsus vaporem gignit: eò quòd cibum neque attenuet, neque conficiat, neque dissolvat. Fortis verò validúsque calor, cùm, quod complectitur longè, superet, cibum in flatum minimè resolvit: sed prorsùs absumit ac dissipat, nisi forsan naturâ flatuosus sit, ac facilè in flatus degeneret. Tùm enim spiritus quidam turbidus, &, ut ita dicam, nebulosus, à calore producitur: sed paucus, & brevi durans: adeò ut uno vel altero ructu vacuetur universus. Calor verò imbecillior, qui inter perfectum frigus & vehementem calorem medius est, ad generandum flatum est aptissimus. *Cap.2.*

131. Potest hoc externarum rerum exemplo declarari. Etenim, quemadmodum hyberno tempore, maximè spirante Boreâ, constitutiones aëris frigidissimæ serenæ sunt, adeòque vaporibus destitutæ: & velut tempore æstivo constitutiones calidissimæ purum reddunt aërẽ: quæ verò inter has duas media est: qualis initio veris & in autumno apparet, ad gignendas nebulas maximè idonea est: sic quoq; in a-

in animantibus, neque cùm calor summè debilis est: neque cùm is vehementer invaluit, sed cùm medium locum obtinet, τὸ φυσῶδες περίττωμα procreatur. *Cap. 2.*

132. Hoc si per os excernatur, ἐρυγὴν, Ructum facit: si per anum, sive cum, sive sine strepitu emittatur, φῦσαν causat. Quod si neque per superiora, neque per inferiora erumpat, ἐμπνευμάτωσιν, Inflationem inducit, non potente ventriculo περιττωματικόν τε καὶ ὀμιχλῶδες πνεῦμα excernere. *Cap. 2.*

133. Aliæ verò atque aliæ intestinorum partes, cùm flatus in illis continentur ac moventur, varios excitant ψόφους, sonos, sive strepitus: quibus etsi non omnibus peculiaria imposita sint nomina: viro tamen prudenti & ingenioso facilè indicari potest, quale & quãtum hoc sit, quod in intestinis continetur excrementum, & quo modo in illis circumvolvatur. *Cap. 2.*

134. Causa quippe varietatis sonorum in intestinis videtur & in excrementorum qualitate, & in loci diversitate, quo in continẽtur ac circumvolvuntur, posita esse. Nam si spiritus in intestinis consistens acutum & tenuem sonũ reddiderit, per vacuum & prorsus angustum defertur intestinum, ipséque purior est magísque aëreus. Si verò purus non fuerit, sed φυσωδέστερος, flatuosior, tùm exiguum quidem similiter excitat sonum, sive strepitum, dùm per tenuia revolvitur intestina; sed neque exactè acutum, neque tenuem. Et tales quidem strepitus in jejuni potissimùm intestini spatijs fiunt. Quantò autem ad intestina tenuia alia magis descendunt, tantò minùs sonori evadunt. *Cap. 2.*

135. Strepitus, qui in crassis observantur intestinis, cùm excrementis sunt vacua, variant. Alij namq; sunt βομβώδεις, & bombos, quales apum sunt, imitantur: similes ijs sonis, qui ex latissimis eduntur tibijs: quales habent τυμ-

βαῦλαι, ſiticines, qui ad ſepulchra defunctorum tibijs canunt. Hæ quippe ob materiam, ex quâ conſtant, impuram, purum edere ſonum nequeunt: propter viam autem amplam, per quã ſpiritus tranſit, ſonant graviſſimè. *Cap.2.*

136. Quodſi craſſa inteſtina vacua non ſint, ſed aliqua etiam humiditas in ijs conſiſtat, bombi ſpecies excitatur, quam Græci βορβορυγμὸν, Latini Murmur appellant. Hæc autem ſoni ſpecies humidæ excretionis nuncia eſt. Excretionis quidem, quia fit à naturâ, quæ ad expulſionem movet materiam. Humidæ verò excretionis, quia cum murmure accidit, quod non ſine humiditate fieri conſuevit, *Cap.2.*

137. Porrò, flatuum, qui extra inteſtina feruntur, ſtrepitus ac ſoni, itidem varij ſunt. Alius enim murmuri ſimilis eſt: & is quidem ἔκκρισιν jam futuram ſignificat. Alius verò purus, reſonans & aëreus: qui vel vacuum eſſe inteſtinum, nullúmque in ſe continere excrementum monet: vel durum admodùm excrementum in ſuperiore inteſtini parte contineri ſignificat. Alius deniq; medius eſt inter eum, qui murmuri ſimilis eſt, & eum, qui benè ſonat, bombúmque refert, & à medio aliquo inter jam dictos affectus provenit. Stridor autem, Græcis τρυσμὸς, vel τρισμὸς duabus de cauſis fit: 1. propter inteſtinorum, per quæ egreditur, anguſtiam. 2. propter ſpiritum flatuoſum, qui cum paucâ eſt humiditate conjunctus. *Cap.2.*

Partis ſecundæ membrũ quintum.

138. *Verùm de his ſatis. Redeamus ad ea, quæ à ſupernis in ventrem confluunt.* Dictum enim, hæc quoque humiditatis & multitudinis τῶν διαχωρημάτων cauſas eſſe. *Cap.2.*

139. Sunt autem delationis excrementi è ſupernis in ventrem cauſæ duæ. I. εὐρωςία, robur facultatis expultricis, quæ, quicquid eſt in ſupernis partibus ſupervacuum, ad infernas detrudit. II. ἀῤῥωςία, imbecillitas ſupernarum partiũ, ut quæ nec id, quod utile eſt, tolerare queat: tantum abeſt, ut ſupervacua retinere poſſit. *Cap.2.*

140. Pro-

140. Propter robur expultricis facultatis excernuntur I. ea, quæ in crisibus per morbos excerni videmus. II. quæ sanitatis tempore singulis mensibus à mulieribus vacuantur menstrua. III. quæ educuntur per αἱματηρὰς δυσεντερίας: quas *Hippocrates* ijs accidere scribit, quibus membrum aliquod amputatum est. IV. quæ excernuntur ab ijs, qui cum prius validis operam dedissent exercitationibus, repentè eas deseruerunt, veteri nihilominus servatâ ciborum copia. Quæ quidem excreta τῷ ποσῷ μόνον, solâ quantitate aliena sunt. *Cap.2.*

141. Sunt autem & quædam alia, quæ τῷ ποιῷ, qualitate molesta sunt: cujusmodi sunt, quæ in morbis acutis κριτικῶς expelluntur: & quæ συντήξεως, colliquationis ratione educuntur: cum scil. corpus totum, aut saltem aliqua illius pars tabescit ac consumitur. *Cap.2.*

142. Inter hæc duo excrementorum genera, quorum alterum per morbos excernitur, estq; omninò ἄχρηστον καὶ μοχθηρὸν: alterum verò per sanitatem extruditur, & χρηστὸν judicatur, tertium genus est, quod simile cibo in ventriculo ἡμιπέπτῳ, quódque in hepaticis potissimum affectibus excernitur. Vocantur autem ἡπατικαὶ διαθέσεις, in quibus hepar ἀτονίᾳ laborat citra inflammationem. Per hanc enim hepar simili planè modo ægrotat, quo ventriculus, cum propter infirmitatem cibos, quos appetijt & attraxit, concoquere non potest. Nam quemadmodum tum ventriculus à cibis illis, quos concoquere nequit, gravatur, hócq; nomine semicoctos ad intestina transmittit: ita etiam hepar alimentum, quod in legitimum sanguinem mutare non valet, semicoctum per anum expellit. Et sicuti ventriculus, quando ad vomitum provocatur, cibum per eam viam rejicit, per quam eundem attraxit: ita hepar in ἀτονίᾳ vomitioni quid ἀνάλογον patitur. Nam alimentum semicoctum per orificia venarum mesaraicarum ad inte-

testina ablegat, per quæ idem priùs allexerat. *Cap.* 2.

143. Simile verò hoc est excrementum, quod per ἀτονίαν hepatis ad intestina amandatur, πλύματι κρεῶν, loturæ carnium. Huic enim illud etiam prædecessores *Galeni* assimilabant. Quanquam fatius forsan fuerit, non simpliciter illud loturæ carnium assimilare: sed ut similitudo sit evidentior, addere, loturæ carnium ἐναίμων τε καὶ νεοσφαγμῶν, cruentarum & recens mactatarum. Quod si quis sanguineã, qui in ἀτονίᾳ hepatis per intestina evacuatur, ὑδατώδη nuncupaverit, sic quoque illum clarè satis expresserit. *Cap.* 2.

144. Hoc igitur symptoma, uti dictum, vomitionibus semicoctorum ciborum proportione respondet. *Alterum* verò, quod itidem ob jecoris, non quidem, ut præcedens, sanguificæ, sed potiùs expultricis facultatis ἀῤῥωστίαν accidit, ὑγροῖς διαχωρήμασι γαστρὸς, humidis ventriculi dejectionibus simile est. Nam quemadmodum ea, quæ exquisitè quidem, ac perfectè in ventriculo fuerunt concocta: minimè tamẽ in alias partes distributa, humidas pariunt dejectiones: idque propterea, quoniam ventriculus gravatus illa expellit: ita quoq; hepar, ubi ex communicato sibi à ventriculo alimento sat fructus percepit, id quod est reliquum, ampliùs tolerare nequit, ideóque excretionem per sedem molitur. Cùm enim vel propter obstructionem, vel succorum in venis abundantiam, vel causam aliam, quæ transitum prohibet, ulteriùs progredi nequeat, ad ventrem recurrat necesse est. Quod cum fit, *secunda sanguineæ excretionis species* nascitur, quâ sanguis & nigrior, quàm esse soleat, & splendens, utpote ex sanguine & atrâ bile mistus, evacuatur. Cujus rei hæc causa est: quia succus ex ventriculo in hepar distributus diutiùs illic manet, à calore hepatis incenditur, assatur, tandémque in atram bilem degenerat. *Cap.* 2.

145. Quòd

145. Quòd verò ſanguis niger ſplendorem illum à calore acquirat, hinc perſpicitur: quia ſanguis à frigore fit niger. Tantum igitur abeſt, ut ſplendorem ab eo conſequatur, ut etiam illum, quem habuerat priùs, amittat. *Cap.2.*

146. Non autem atra ſolùm bilis ſplendet: ſed etiam alia, quæ inſignem nigredinem denſâ cum ſubſtantiâ obtinent, ſplendore quodã nitent: velut Bitumen maris mortui, quod Judaicum appellatur. *Cap. 2.*

147. Liquet ergò, atram bilem, non cùm ſanguis perfrigeratur: ſed cùm immodicè aſſatur ac fervet, veluti cinerem, procreari. Non tamen nihil planè frigiditatis in ſe habet atra bilis. Habet enim illius aliquid, quoniam corpus eſt terrenũ: particeps tamen & caloris eſt, quemadmodum cinis & acetum. Hunc verò calorem acquirit, quia aſſatur. Nam ſi ſuccus, qui ex ventriculo in jecur diſtributus eſt, moras nectat in hepate, & in reliquum corpus minimè feratur, tandem incendium contrahit. *Cap.2.*

148. Ejuſmodi bilis, ſi vehatur ad inteſtina, illam cruentæ excretionis ſpeciem parit, quæ à nonnullis etiam δυσεντερία vocatur. Hanc enim qui excernunt, perinde ut dyſenterici mordentur: eò quòd unà flava bilis, dum ſanguis aſſatur, illis reddatur acrior ac mordacior. *Cap.2.*

149. Sunt autem non duæ ſolùm cruentatum dejectionum ſpecies, de quibus jam dictum: ſed in univerſum 4. I. eſt τοῦ αἵματος, quâ propter membrum aliquod præciſum, aut ob neglecta exercitia, ſanguis ἐκ περιόδου τινὸς, per circuitus quoſdam excernitur. II. fit δι' ἀτονίαν ἥπατος, propter imbecillitatem jecoris, quâ ſanguis aquoſus, quẽ veteres loturæ carnium aſſimilabant, per alvum deijcitur. III. eſt τοῦ αἵματος μελαγχολικοῦ καὶ στίλβοντος, quâ ſanguis, ut modò dictum, melancholicus & ſplendens deijcitur. IV. vera eſt δυσεντερία, à tribus prioribus plurimùm diſcrepans. Nam in his ſanguis multus, & quidem ἀθρόως excer-

nitur. In illâ verò excretio fit κατὰ βραχὺ, paulatim, ϗ δι' ὀλίγου τοῦ χρόνου, ac per brevia tēporis intervalla. Et interdum quidem ſanguis ſincerus: aliquando verò grumoſus: nonnunquam etiam aliquid puris exire ſolet: imò & membranoſa quædam corpora, ἐφελκίδες nuncupata, quæ ipſorum inteſtinorum ſunt particulæ, deijciuntur. Denique, non rarò etiam in ejuſmodi excretis ſtercus conſpicitur, ſanguineis guttis reſperſum. *Cap.* 2.

150. Porrò, affectus, unde iſtæ excretiones prodeunt, itidem quatuor ſunt. Et trium quidē priorum jam ſunt expoſiti. *Prima* enim affectus ſunt præciſio alicujus membri effatu digni, aut πληθώρα ex intermiſſis corporis exercitijs. *Secunda* ἀτονία jecoris. *Tertia* obſtructio, aut aliud aliquod impedimentum ſanguinis ἀνάδοσιν prohibens. *Quarta* ἕλκωσις ἐντέρων, exulceratio inteſtinorum, ab acribus humoribus orta: quam etiam ſolam nonnulli dyſenteriæ nomine dignantur. *Cap.* 2.

151. Ejuſdem cum dyſenteriâ generis eſt ὁ καλούμενος τεινεσμός. Nam & ipſe ulcus eſt cujuſdam inteſtini, nempè recti: & ſymptomata infert dyſenteriæ ſimilia: ἐντάσεις verò, h. e. nixus atque conatus multò vehementiores habet. *Cap.* 2.

Partis ſecūdæ mē- brum ſextum.

152. *Hæc de excretionibus ventris. Nunc de urinæ vacuatione.* Habent autem tùm ἐπισχέσεις, tùm μοχθηραὶ κενώσεις τῶν οὔρων ἀναλογίαν quandam cum excrementorum ventris ἐπισχέσεσι ϗ παρὰ φύσιν ἐκκρίσεσι. *Cap.* 2.

153. Supprimitur autem urina duabus de cauſis: I. propter ἀδυναμίαν, imbecillitatem veſicæ, urinam excernere nequeuntis. II. propter στένωσιν, anguſtiam cervicis ejus. Hæc enim duo veſicæ vitia unum commune ſequitur ſymptoma, quod Græci ἰσχουρίαν, Latini ſuppreſſionem urinæ vocant. *Cap.* 2.

154. Nominant autem plerique Medicorum ἰσχουρίαν illud

illud symptoma, in quo nihil omninò urinæ in vesicâ continetur. Sed malè. Reverà enim ἰσχυρία non est: eò quòd urina non vesicæ: sed renum potiùs vitio tùm retineatur. Nam propter abolitam actionem renum, qui serum sanguinis non attrahunt: aut attractum per imbecillitatē expellere à se nequeunt, nihil urinæ in vesicam abit. Licet verò impropriè hoc symptoma ἰσχυρίαν nominent: permittendum tamen iis est, ut sic appellent, cùm propriâ destituantur appellatione. Interim differentiam affectuum ignorare minimè decet. Alius namque affectus est, cùm impletâ vesicâ nil urinæ excernitur: & alius, cùm eâ existente vacuâ, & nil omninò urinæ in se continet. *Cap. 2.*

155. In priore siquidem affectu τὸ στόμα τῆς κύστεως ἐστέγνωται, vesicæ orificium angustatum est: aut si hoc ipsum κατὰ φύσιν se habet, vesica adeò imbecilla est, ut se contrahere & urinam foràs protrudere nequeat. In posteriore verò, renum actio, uti dictum, abolita est, & vesica nequaquam laborat. *Cap. 2.*

156. Angustatur autem & obstruitur orificium vesicæ à quinque potissimùm causis: nimirùm à grumo, crasso pure, lapide, callo, & germine aliquo in meatu urinario nato: qualia sæpè etiam in aliis externis partibus, v.g. auribus, naribus, pudendis & sede nasci conspicimus. *Cap. 2.*

157. Præclusio verò, quæ μύσις Græcis dicitur, in quâ scil. margines cervicis vesicæ coëunt, & quasi invicem cōnivent, duas habet causas: nempè tumorem aliquem præter naturam, & nimiam siccitatem. Tumores sunt, inflammatio, scirrhus, œdema &c. qui vesicæ cervicem attollūt, & tumorē in internum meatum refundūnt ac traijciunt. Siccitas autem in ardentissimis ac squalidissimis febribus accidit: in quibus laborantes adeò quandoque siccantur, ut, nisi os & linguam priùs madefecerint, loqui nequeant. *Cap. 2.*

158. Im-

158. Imbecillitatis (ἀτονίας) veſicæ cauſas recenſere, nihil opus eſt. Expoſitæ enim jam ſunt ſæpiùs in partibus aliis: dictúmque, eſſe δυσκρασίας. De illo verò ſymptomate, in quo veſica nihil urinæ excernere valet, etiamſi immodicè repleta ſit, aliquid in medium proferendum. Teſtatur namque *Galenus*, ſe non ſolùm vidiſſe, ſed etiam ab aliis audiviſſe, nonnullos, verecundiâ ductos, in conviviis, ut urinam redderent, noluiſſe. Ideóque accidiſſe, ut ex diuturno conſeſſu veſica illorum adeò impleta ſit, ut actionem ſuam amiſerit, nec urinam, quamvis magnoperè anniterentur, excernere amplius potuerit. *Cap.2.*

159. Accidit enim aliquando tale quid etiam in ventriculo & inteſtinis. Nam fit, ut interdum iis, qui in foro, aut alio aliquo in loco verſantur, nec negotiũ, quod ſuſceperunt, deſerere poſſunt, ſuccus aliquis violenter retentus, ſurſum iterum ad ventriculum reducatur, eúmque ſubinde multùm extendat. Præterea in inteſtinis, ubi purgante medicamento ſumpto humores ad inteſtina confluunt, ibíq; manentes ea plurimùm extendunt. Cauſa verò, cur hæc organa, licet impleta ſint abundè, nil tamen egerant, eſt, quia ob repletionem vehementer ſunt diſtenta, eorúmq; partes à ſe longo intervallo diſtant. Itaq; contractrix eorum facultas ob extẽſionem læſa, non poteſt, quod in iis continetur, expellere. *Cap.2.*

160. Suppreſſiones urinæ, de quarum cauſis jam dictum, quaſi στέρησιν τῆς ἀποκρίσεως τῶν οὔρων inferunt. Qui verò affectus ſunt ὁμογενεῖς, ejuſdem cum illis generis: attamen non adeò vehementes, ut urinam omninò ſupprimant, velut ἀμυδρὰς καὶ ναρκώδεις, debiles torpidáſq; actiones efficiunt: ut fieri in δυσουρίᾳ ſolet. *Cap.2.*

161 Duobus ſymptomatibus, ſuppreſſioni ſcil. urinæ, & debili ejuſdem excretioni, additur tertium, quod conſiſtit ἐν ταῖς πλημμελέσι κενώσεσι, in pravis urinæ evacuationibus:

qua-

quarum ἰδέαι ſunt plures. I. eſt ἡ καλουμένη στραγγουρία, urinæ ſtillicidium, quòd ſcilic. in eo urina guttatim emittatur. Ejus cauſæ ſunt duæ: nempè ἀτονία τῆς κύστεως, imbecillitas veſicæ, urinam longo tempore continere non potentis: καὶ δριμύτης τῶν οὔρων, acrimonia & mordacitas urinæ, quæ facultatem expultricem aſſiduè ad excretionem ſtimulat. II. quæ ſimilis τοῖς κατὰ τὴν γαστέρα ῥεύμασιν, ventris fluxionibus. Eſtque quædam velut ἀναστοιχείωσις, reſolutio in elementa ac principia: item, σύντηξις, colliquatio: denique ἀνάλυσις, compoſiti in partes & elementa ſua reſolutio: quæ duplex: totius videlicet corporis: aut duntaxat illorum humorum, qui in venis continentur. *Cap.2.*

162. Quod verò ex iſta συντήξει provenit, aliquando ad ventrem: nonnunquam ad meatus urinarios: interdum etiam ad cutim pellitur. *Cap.2.*

163. Si humores venarum propter alteratricis facultatis imbecillitatem εἰς ἰχῶρας ὀῤῥώδεις, ſeroſas humiditates, reſolvuntur, tùm renes ipſi, præſertim cùm valent, ac ſuo munere funguntur, ſerum iſtud à venis attrahunt & expurgant, fluxionémque aſſiduè veſicæ transmittunt, malúmq; generant, quod διαβήτην nominant. *Cap.2.*

164. Quando verò renes ſeroſam hanc humiditatem trahere nequeunt: tùm venæ ejuſmodi ſerum, vel in ventrem demittunt, & hydropis ſpecies generatur, quæ ἀσκίτης dicitur: vel univerſo corpori communicant, & ἀνασάρκαν pariunt. In ventrem autem tùm fluit, cùm id, quod colliquatum eſt, craſſius fuerit, & propter craſſitiem ſuam à renibus trahi nequit. *Cap.2.*

165. Cæterùm, carnoſo genere colliquato, itidem venter fluxionẽ recipit, ſi τὸ συντηκόμενον craſſius extiterit. Ubi verò in vapores fuerit reſolutum, multi ſudores gignuntur. *Cap.2.*

166. Porrò, reliquorum ſymptomatum urinæ, alia

F veſi-

veficæ: alia renum affectus indicant: alia denique quousque cruditatis, aut concoctionis sanguis pervenerit, significant. *Cap.2.*

Partis secundæ membrum septimum.

167. *Transeundum jam est ad sudores.* Fit autem interdum sudor propterea, quòd habitus totius corporis resolvatur: vocatúrque vitium id, in quo is sudor promanat, συγκοπή. Cui contrarius est is, qui fieri solet in crisibus. Ut enim syncopticus debilem & resolutam: sic criticus robustam naturam indicat. Ejusmodi enim sudor corpus expurgat. *Cap.2.*

168. Criticis sudoribus similes sunt, quos mediocres exercitationes, balnea, æstivúsq; calor evocant. Exercitationes dicimus mediocres. Immodicæ enim non tantùm noxios, sed etiam utiles evacuant. *Cap.2.*

169. Habent autem sudores, & odorem, & colorem illi excremento similem, quod excernitur. Id quod testatum faciunt sudores ictericorum, qui non secus, ac bilis ipsa, quæ ad cutem expellitur, flavi sunt, acres & amari. *Cap. 2.*

170. Sunt verò variæ copiosi sudoris causæ. I. est ἡ ἀραιότης τȣ͂ σώματος, corporis raritas, quæ ad excernendum copiosum sudorem est aptissima. II. τὸ πλῆθος τȣ͂ περιττώματος, excrementi, quod vacuandum, copia. III. ἡ λεπτότης τȣ͂ κενȣμένȣ, ejus, quod excernitur, tenuitas. Promptius enim quod tenue est, quàm quod crassum, evacuatur.

171. Detinentur autem sudores ob causas contrarias: nimirùm ob corporis densitatem, seu pororum corporis constipationem: excrementorum paucitatem: & illius, quod vacuatur, lentorem ac crassitiem. *Cap.2.*

172. Stipantur meatus cutis duabus de causis: δι᾽ ἔμφραξιν, ϗ μύσιν, propter obstructionem & præclusionem. Fit autem obstructio à crassis & viscidis humoribus. Præclusio causas agnoscit tres. I. εὐτροφίαν, copiosam nutritionē, quæ

quæ facit, ut margines orificiorum coëant. Evadunt enim ob hanc ipsam crassiores amplioréſque. II. ψύξιν, refrigerationem, quæ poros contrahit. III. μαλακότητα, mollitiem, quæ causa est, ut pori coëant atq; conniveant. *Cap. 2.*

173 Observandum hic est, detineri etiam sudores, propter expultricis facultatis infirmitatem. Id quod etiam aliis excrementorum generibus accidere solet. Nam & vesica urinam, & intestina fæces aliquando δι' ἀτονίαν τῆς ἐκκριτικῆς δυνάμεως diu tolerant. Nonnunquam contrà, propter ejusdem facultatis robur, illa ne brevissimo quidem tempore sustinent: sed ab iis gravata ea haud cunctanter extrudunt. *Cap. 2.*

174. *Priusquam ad causas tertij symptomatum generis*, quod simplicium est corporis nostri affectuum, accedamus, lubet perplexum, arduum, & difficile problema enodare: cur scil. læsâ aliquâ parte, non ex æquo omnes ejus actiones simul lædantur: sed aliæ magis: aliæ minùs: aliæ prorsùs non? *Cap. 3.*

Partis secundâ membrum octavum.

175. Neminem verò latet, fieri non posse, ut ullius partis actio (intellige naturalis, quæ insita est & implantata) lædatur, nisi aliquâ ex parte ejus essentia afficiatur. At sæpiùs usu venit, ut aliâs alia agentis particulæ lædatur. Causa verò est: quia non simili κατασκευῇ opus est εἰς τὰς ἀλλοιωτικὰς ἐνεργείας, quæ alibi φυσικαὶ καὶ σωματικαὶ, quòd partibus naturâ sint insitæ, appellantur, καὶ τὰς πρακτικὰς, quas *Galenus* aliâs ψυχικὰς καὶ καθ' ὁρμὴν, voluntarias vocat. Nam actiones ἀλλοιωτικαὶ, h. e. concoctio & assimilatio, fiunt τῶν πλησιαζόντων ἁπάντων ἀλλήλοις, omnibus sibi invicem appropinquantibus: neque opus est aliqua loci mutatione. At actio attractrix, retentrix, & expultrix, sine loci mutatione fieri nequit. *Cap. 3.*

176. Quocirca, corpus molle, utpote nimio humore

flaccidum atq; infirmum, ad ἐνεργείας πρακτικὰς, sive κινητικὰς, inhabile existit: eò quòd trahere, retinere, aut excernere nequeat. Robore enim præditum sit oportet, quod has actiones exercet. Ratio est: quoniam vi quadam & impetu, nec sine motu locali peraguntur. Ad ἐνεργείας verò ἀλλοιωτικὰς etiam humidissimum mollissimúmq; corpus est aptissimum: maximè si etiam sit calidissimum. Nulla enim effectricium qualitatum adeò celeriter τὰ πλησιάζοντα, ea, quæ sibi proxima sunt, & inter se juncta, alterare videtur, atq; calor. Ex quo constat, corpus humidissimum simul & calidissimum quàm celerrimè alterare, h. e. alimentum & concoquere, & concoctum assimilare. Quòd verò adeò durum est, ut haud ægrè flectatur: firmiter autẽ suffulciatur, id ipsum ad ἐνεργείας πρακτικὰς esse idoneum. Vehementer enim, quod voluerit, trahere, violenter propellere, validéq; tenere potest. Neq; enim cùm tenditur, labefactatur, ut molle & humidum: neque si vehementer tendatur, periculum est, ne rumpatur. Præterea, quæ semel apprehenderit, ea complectens retinet. Sic autem agere nequaquam possunt ea corpora, quæ vel adeò sicca & dura sunt, ut vix flectantur: vel ob humorem nimis mollia. Illa enim non firmiter comprehendunt: hæc autem debili complexu usa, facilè elabi sinunt ea, quæ comprehenderunt.

177. Optimè igitur nutriuntur calida & humida corpora. Alterant enim alimentum velocissimè: & id in se recipiunt, & agglutinant, & assimilant. Pessimè verò frigida & sicca: ut quæ neque alterare, neq; in se recipere, neq; agglutinare, neq; assimilare possunt, *Cap.*3.

178. Quòd autem calidum corpus promptè alteret & coquat alimentum, nutritionis materiam, anteà dictum. Calor enim πέψεως author est. Quòd verò humidum & molle corpus facilè in se recipiat, quod est alteratum &

conco-

concoctum, admonitione potiùs, quàm probatione indiget. Hoc enim patet ex corpore contrario, quod ſiccum eſt & durum. Nam cùm ſolidum ſit atque compactum, alimentum non facilè in ſe recipit: & per conſequens neq; promptè agglutinat atq; aſſimilat. Quòd deniq; faciliùs ac celeriùs agglutinētur & coaleſcant, quæ humida ſunt, quàm ea, quæ dura, metalla, & præcipuè plumbum, quod cætera omnia mollitie & humiditate ſuperat, docent. Utcunq; enim reliquis metallis mollius ſit atq; humidius: tamen cum alio plumbo non coaleſcit, niſi priùs vi caloris liquatum fuerit. Eſt ergò humiditas, præſertim ſi calor accedat, in cauſâ, ut alimentum citiùs faciliúſque partibus agglutinetur & coaleſcat. *Cap.3.*

179. Poſſunt ea, quæ de naturalibus actionibus dicta ſunt, etiam ætatum exemplo declarari.

180. Etenim, in pueris, aliíſque, quibus temperamentum corporis calidius eſt & humidius, alterationes alimēti, nimirùm & πέψις, & πρόσθεσις, & πρόσφυσις, & θρέψις optimè peraguntur. Sunt enim πέψις & θρέψις alterationes. Πρόσθεσις verò fit, cùm alimentum in roris, aut vaporis ſpeciem mutatum, & per partes diſſeminatum, ab illis recipitur. Πρόσφυσις autem κόλλησις quædam & ἕνωσις eſt alimenti. In hiſce omnibus corporibus, quæ calida & humida ſunt, non mediocre momentum εἰς ἐξομοίωσιν adfert nutriendi corporis humiditas. Eſt enim τῇ συστάσει alimento ſimilis. *Cap.3.*

181. Inſtrumenta verò τῆς ἀναδόσεως, diſtributionis, etſi non ita valida ſint ad agendum in pueris, quemadmodum in adultis: tamen ad ſuam in pueris obeundam functionem ſatis ſunt apta atque idonea: nihílque ipſis deeſt, quò minus in illis ſanguinem per totum corpus diſtribuere valeant. Mediocrem enim duritiem ac robur venæ puerorum obtinent. *Cap.3.*

182. Facultas καθεκτικὴ in pueris eſt imbecillior. Ideóque

que celeriter excernit, quicquid illos gravat, aut ijsdem molestum est. *Cap.3.*

183. Facultas ἀποκριτικὴ iisdem mediocriter debilis est; h. e. non ita valida, ut in adultis & juvenibus: attamen sic comparata, ut in pueris actionem suam sufficienter exercere queat. Quanquam non tantùm pueris, sed etiam reliquis omnibus ætatibus καθεκτικὴ δύναμις τῇ ἀποκριτικῇ sit infirmior. Causa est: quoniam καθεκτικὴ longiore tempore ad perficiendam suam actionem indiget, adeóq; etiam robore majori. Ἀποκριτικὴ verò breviori temporis spatio functionem suam complet. Uno namque impetu τὸ λυποῦν, id quod contristat, profligare potest. Quemadmodum enim in externis rebus idem homo sat validus est, ut à se onus aliquod à se proijciat: totâ tamen die id gestare nequit: sic internis quoque organis facilius est, ut à se repellant, quod molestum est, quàm ut diu id retineant. *Cap.3.*

184. Hunc igitur in modum φυσικαὶ δυνάμεις se in pueris habent. Quodsi cum juvenibus, seu ætate vigentibus, quos ἀκμάζοντας *Gal.* appellat, conferantur, ἀλλοιωτικὴν certè δύναμιν, nempè πεπτικὴν καὶ ἐξομοιωτικὴν, ætate vigentibus valentiorem habent: ἑλκτικὴν verò debiliorem: non tamen ad usum suum deficientem. Reliquas verò duas, καθεκτικὴν καὶ ἐκκριτικὴν, juvenibus itidem infirmiores sunt sortiti. Ἐκκριτικῆς tamen imbecillitas propter actionis suæ brevitatem non ita facilè deprehenditur. Nam pueri crebriùs & vomunt, & per alvum deijciunt, quàm Juvenes. Quæ causa est, quòd ab imperitis judicentur, ἐκκριτικὴν habere admodùm robustam. Quod tamen non accidit propter ῥώμην τῆς ἀποκριτικῆς: sed propter ἀῤῥωστίαν τῆς καθεκτικῆς δυνάμεως. *Cap.3.*

185. Cæterùm, consistentiam alimenti quod attinet, pueri quæcunque humida & mollia sunt, perinde ut ἀκμάζοντες, ætate

ætate florentes, in ventriculo concoquunt: quæ autem dura, deteriùs conficiunt. Pueris enim calor est ἀτμοειδέστερος, halituosior, sive humidior: ætate autem florentibus, ξηρότερος, siccior. *Cap.3.*

186. Ex his infertur, humida alimenta corporibus humidis: sicca siccis necessaria esse: cúmq; concoctio sit ἀλλοίωσις εἰς τὴν οἰκείαν τοῖς τρεφομένοις ποιότητα, alteratio in propriam ejus, quod nutritur, qualitatem, pueris quidem humidiora mollioráque edulia magis congruere: Juvenibus verò sicciora. *Cap.3.*

187. Senes ad omnes propemodùm actiones corpus habent κακῶς διακείμενον. Siccius enim est reliquis corporibus, & solum frigidum. Itaque neq; probè concoquunt senes, ob caloris inopiam: neq; benè nutriuntur: tùm propter siccitatem: tùm propter ἀλλοιωτικῆς δυνάμεως imbecillitatem. *Cap.3.*

188. Facultas distribuendi senibus & tarda, & imbecilla est. Causa est: quia ὄργανα ἀναδόσεως ob frigiditatem veluti torpent. Expulsiones prætereà, quæ quidem sunt ὀλιγοχρόνιοι, brevibus fiunt intervallis, facultatis imbecillitatem non arguunt: sed potiùs retentricis, ut quæ τὰ λυποῦντα diu retinere nequeat. Quæ verò sunt πολυχρονιώτεραι, malè ab illis perficiuntur: adeòque manifestè ἀῤῥωστίαν τῆς ἐκκριτικῆς δυνάμεως indicant. *Cap.2.*

189. Porrò, calidum & siccum ὄργανον ad ἐνεργείας πρακτικὰς magis est idoneum. Humidum & frigidum magis imbecillum. Calidum & humidum, itémq; frigidum & siccum inter duas hasce organorum intemperies, medium locum obtinent. *Cap.3.*

190. Quod si ætates spectes, nullum corpus planè frigidum & humidum invenies. Puerorum enim corpus calidum & humidum est: Juvenum calidum & siccum: senum frigidum & siccum. In pravis autem temperamentis,

tis, ſive naturalla ſint, ſive acquiſititia, invenitur. Sunt enim qui ſtatim in primâ formatione frigidum & humidum nacti ſunt temperamentum: ſunt etiam, qui idipſum, poſtquam in lucem ſunt editi, acquiſiverunt: quales ſunt, qui lethargo & λευκοφλεγματία, ſive ἀνασάρκα ſunt correpti. *Cap.* 3.

191. Et tales, qui frigidâ humidáque intemperie laborant, in practicis actionibus, h.e. motibus voluntarijs, debiles ſunt. Frigidum enim, ſive cum ſiccitate, ſive cum humiditate conjunctũ ſit, πανταχȣ̃ ἀσθενέστερον τε καὶ ναρκῶδες ἐστὶν, imbecillius eſt & torpidum. Contrà, qui calidâ ſiccáque dyſcraſiâ afficiuntur, cujus generis ſunt phrenitici, in practicis actionibus robur habent inſigne. *Cap.* 3.

192. Ad eundem modum inter naturales facultates ἡ καθεκτικὴ in organis calidioribus & ſiccioribus robuſtior eſt: in frigidioribus verò & humidioribus, ſive ἐκ γενετῆς, in primâ nativitate talia ſint: ſive ἄλλως, aliter acquiſita, imbecillior. *Cap.* 3.

193. Oportet autem in ſingulis partibus, quæ actionum ſunt ὄργανα, τὸ ποσὸν τῆς ἀμετρίας, magnitudinem immoderationis attendere. Nam animalia ὄργανα, quibus motus voluntarij peraguntur, quod attinet, ut ſunt muſculi, nervi, tendines, & ligamenta, quantò hæc ſunt ſicciora, tantò quoq; ad ſuas actiones obeundas validiora ſunt: niſi ad eam uſque ſiccitatem pervenerint, ut propter duritiẽ ægrè flectantur, & propter ſiccitatem οἷον κραῦρα, quaſi friabilia fiant. Tùm enim σπάσμασι, convulſionibus tentantur. *Cap.* 3.

194. Contrà, τὰ φυσικὰ τῶν ὀργάνων, quantò ſunt humidiora, tantò nutriuntur meliùs, etiamſi ἐσχάτως ὑγρὰ, ſummè humida extiterint. *Cap.* 3.

195. Ad concoctiones autẽ naturalia ὄργανα humidiora, nec ſeipſis, h.e. humidis: nec iis, quæ ſunt ſicciora, meliora exiſtunt:

existunt: modò similiter calida sint. Estq; hoc veritati consonum, nisi omninò siccum alimentum sicco squalentíq; ὀργάνῳ, largo humore non admisto, exhibeatur. Necesse quippe est, aliquem extraneum humorem accedere, qui calori obsequatur, nimiámq; instrumenti siccitatem corrigat. *Cap.3.*

196. Ad ἀνάδοσιν verò alimenti, & ἀπόκρισιν excrementi, ὄργανα, quæ valdè sicca duráq; sunt, incepta existunt. Ratio est: quoniam ægrè διαστέλλεται, dilatantur: nec ita promptè συστέλλεται, contrahuntur: quorum illud ad ὁλκὴν, attractionem: hoc ad ἔκκρισιν, excretionem summè necessarium est. *Cap.3.*

197. Ut ea, quæ dicta sunt fusiùs, in pauca contrahamus, tenendum. I. Calorem auctum alterare & concoquere abundanter, nisi ad tantam perveniat vehementiã. ut colliquet. Tùm enim omninò inutilis est. II. Frigus nulli actioni utile esse. III. Siccitatem ad robur & firmitatem conferre: nisi adeò fuerit aucta, ut membra reddat δυσκίνητα καὶ εὔθρυπτα, ægrè mobilia & friabilia. IV. Humiditatem ad nutritionem esse accommodatissimam: ad alias verò actiones, exceptâ auctione, maximè ineptã. Ad hanc enim magis, quàm ad nutritionem utilis est. Nam quæ corpora promptè augeri debent, ut undiquaq; extendantur ac dilatentur necesse est. *Cap.3.*

198. *Sed absolvamus, quæ de excretionibus dicenda supersunt.* De his enim suprà dicere cœperamus. *Partis secũda mẽbrum unum.*

199. Sive enim aliquid ex naribus, sive ex auribus, sive ex palato, sive ex oculis, sive ex faucibus, sive ex utero, sive ex quacunq; parte aliâ, excernatur, tria in omni excreto consideranda sunt: ut eò facilius symptomatis causæ inveniantur. 1. est τὸ ποσὸν, quantitas. II. τὸ ποιὸν, qualitas. III. ὁ τρόπος τῆς ἐκκρίσεως, modus excretionis. *Cap.4.*

200. Nam si v. g. modum excretionis in destillatione & gravedine diligenter perpendamus, facilè ejus causas

inveniemus. Si enim à frigore externo, quod instar manûs se habet, & cerebrum, veluti spongiam aquâ imbutam, apprehendit, & humiditates exprimit, fiat destillatio, certum est, hunc excretionis modum, sive speciem, frigidam intemperiem pro causâ habere, cerebrúmq; ut partem similarem laborare. At si ab ardore Solis, humores in cerebro fundente & eliquante, proficiscatur, non dubium, quin causam agnoscat intemperiem calidam, cerebrúmq; similiter, ut pars similaris afficiatur. Quòd si verò humor à capite excernatur, quia cerebrum est impletum, tùm ut pars dissimilaris ægrotat. Estq; utrumq; vitium diarrhœæ simile. Ut enim hæc à δυσπεψία, cruditate ventris oritur: ita destillationes & gravedines à capite proveniunt: eò quòd cerebrum officium suum in concoquendo minimè faciat. *Cap.*4.

201. Habent autem, quæ ex capite in subjectas partes defluunt, appellationes proprias ac peculiares. Nam si excrementum defluat ad os, malum κατάῤῥους nominatur. Si ad nares feratur, κόρυζα, grando dicitur. Si ad φάρυγγα, sive fauces se conferat, βράγχος appellatur. Si ad γαργαρεῶνα, h.e. columellam descendat, σταφυλὴν, uvam parit. Si ad glandulas, quæ in fine oris utrinque ex adverso positæ sunt, se recipiat, ἀντιάδας efficit. Si ad partes illis vicinas decumbat, παρίσθμια causat. Fertur etiam catarrhus à capite ad ventriculum & asperam arteriam: & utriq; parti mirum in modum nocet. *Cap.* 4.

202. Hâc eadem methodo haud difficulter causæ, tùm suppressionis menstruorum, tùm eorum omnium, quæ corruptè ex utero fluunt, inveniuntur. *Cap.*4.

203. Etenim, suppressionis menstruorum causa vel sita est in *utero ipso:* vel *in sanguine:* vel *in vasis ejus:* vel *extra uterum in corpore toto. Cap.*4.

204. Uterus in causâ est, vel quia ob frigiditatem densus: vel quia ob siccitatem durus: vel quia aliâ intemperie

rie affectus. Quæ vitia aut nativa sunt, & in utero materno contracta: aut adventitia & extra uterum parta. *Cap.4.*

205. Sanguis in causa est: vel quia crassus: vel quia viscosus & glutinosus. *Cap.4.*

206. Vasa in causâ sunt, aut quia angustiora facta in conformatione partium primâ: aut quia à crassis glutinosisq; humoribus obstructa: aut quia compressa: quod tùm maximè accidit, cùm corpus nimis pingue & obesum evasit. Tùm enim corpora vasis uterinis circumjacentiâ cõprimuntur, vel unà etiam vasa ipsa comprimunt. *Cap.4.*

207. Totum corpus in causa est, ut fœmina vel planè non, vel parciùs, vel plus justo, vel depravatè purgetur. *Cap. 4.*

208. *Planè non purgatur*, si & multis corporis exercitijs operam dederit: & tenuiter valdè vixerit: & sanguis ad partes aliâs, v. g. ad nares, aut os inclinârit. *Cap. 4.*

209. *Parciùs purgatur*, h. e. minùs, quàm naturæ conveniat, cùm hæc tria, exercitatio corporis, victus, & inclinatio sanguinis ad partes alias, fuerint μετριώτερα, mediocria. *Cap. 4.*

210. *Plus justo purgatur* propter diuturnum otium, & liberaliorem victum. *Cap. 4.*

211. *Depravatè purgatur*, cùm μοχθηρὰ ῥεύματα fiunt per uterum: totúmq; corpus se per illum exonerat. Ex eorum albo ῥοῦς est γυναικεῖος, fluxus muliebris: in quo, quod evacuatur, perpetuò talem ἰδέαν, h. e. formam, sive speciem præ se fert, qualem id, quod in animante redundat. Nam si fuerit rubrum, ἰχὼρ αἱματώδης in corpore ejus multus est. Sin album, pituita dominatur. Quod si pallidum extiterit, bilis luxuriat. Si verò aquosum, serosum excrementum in corpore viget. *Cap.4.*

212. Præter hæc vitiosa uteri ῥεύματα, in quibus totum corpus se per uterum purgat, est & aliud genus μοχθηρᾶς ἐκ μήτρας κενώσεως, quod non vitio totius, sed solius uteri cõ-

tingit, nimirùm *διά τι πάθος ἐν ἀυτῇ γεγονὸς*, propter affectum aliquem in utero obortum. *Cap.4.*

213. Aliquando etiam menſtruorum fit ſuppreſſio, non propter ſanguinis defectum, quem multitudinem exercitiorum corporis, & tenuitatem victûs cauſare diximus: neque propter affectum aliquem in utero natum: ſed propter vires validas atque robuſtas, quæ ſanguinem ad alias corporis partes, non ad uterum, detrudunt. *Cap.4.*

214. Fit tamen ſæpiùs, ut propter morbos uteri proprios, in cornibus, cervice, reliquové ejus corpore, genitos, vel plura, quàm priùs: vel pauciora excernantur menſtrua. Accidit etiam, ut propter eoſdem aut nulla prorſùs; aut depravata ſanè vacuentur. Contingit denique, ut & propterea menſtrua ſupprimantur, quoniam uterus imperforatus eſt: quod vitium ſub *νοσήμασι ἰδίοις τῆς μήτρας*, quorum mentio jam facta, comprehenditur. Vocantur autem fœminæ, quæ hoc vitio laborant, *ἄτρητοι* à *Galeno*, à Latinis imperforatæ. *Cap.4.*

215. Ad hoc ſymptomatum genus, quod eſt excretorum, & retentorum, pertinet etiam *πριαπισμὸς καὶ γονοῤῥοια*. Ex quibus ille quidem *οἴδησις* eſt *καὶ διαφύσησις ἀκούσιος τοῦ τῶν ἀῤῥένων αἰδοίου*, tumor & inflatio involuntaria pudendi virilis: eſtque ſymptoma à flatuoſo ſpiritu ortum. Hæc verò ſine genitalium fit tenſione, ex imbecillitate facultatis retentricis, quæ in vaſis eſt ſeminariis, nata. Quodſi intento (*ἐκτεινομένῳ*) acciderit pudendo, tùm laborantes *σπασμῷ τινι παραπλήσιον*, convulſioni quid ſimile patiuntur. *Cap.4.*

Pars libri tertia.

216. Sed cùm de partium imbecillitate & convulſione multa jam dicta ſint in præcedentibus: non eſt, cur de iis ampliùs diſſeratur. Ideòque ad tertium & ultimum ſymptomatis genus, quod eſt *διαθέσεων τοῦ σώματος*, accedendum: quæ *l. de ſymptom. diff. c.* 5. in viſiles, olfactiles, guſtatiles & tactiles ſunt diſtributæ. *Cap.5.*

217. Af-

217. Affectus visiles, sive mutati corporis colores, caussas habent tres. I. sunt χυμοὶ ἐξιςάμενοι τῆς κατὰ φύσιν ἰδέας, humorum à suo naturali statu aberratio, sive recessus. Sunt enim quidam humores naturales: quidam præter naturã. Qualis igitur humor est in corpore, talis color efflorescit in cute. II. χυμοὶ ὑπονοςῦντες εἰς τὸ βάθος, humores in profundum corporis subeuntes: quemadmodũ accidit in λειποθυμίᾳ, & timore, in quo sanguis ad cor retrocedit; unde pallor cutim occupat, maximè faciei. III. χυμοὶ οἷον ἐπικλύζοντες τὸ δέρμα, humores cutem velut alluentes: id quod in vitiliginis speciebus evidenter apparet. *Cap.* 5.

218. Atq; hæ sunt caussæ mutationis coloris generales. In specie autẽ istius mutationis caussæ sunt ea omnia, quæcũq; humores ad ejusmodi tùm motus, tùm affectus impellunt. Ut sunt animi perturbationes: aëris in calore & frigore variationes: & ipsius corporis affectus: cui corpori vel calidior, vel frigidior, vel parcior, vel copiosior, vel foràs protrusus, vel intrò retractus est sanguis. *Cap.* 5.

219. Hujus igitur generis est quævis κακοχυμία. Nam & hæc totius corporis colorẽ pro suâ specie mutat. Si enim sit pituitosa, ut in anasarcâ & λευκοφλεγματίᾳ, totius corporis color fit albus. Si melancholica, ut in Elephantiasi, color corporis redditur niger. Si biliosa, corpus flavo tingitur colore. Per ἀτονίας verò hepatis & lienis itidem color alteratur: In hepatis enim ἀτονίᾳ pallet corpus: in splenis vergit ad nigrius. *Cap.* 5.

220. Atq; sic se res habet non tantùm in corpore toto: sed etiam in qualibet ejus parte. Ut enim totum ob bilem flavet: ob pituitã candicat: ob melancholiam nigricat: sic quælibet etiam particula à bile flavum: à pituitâ album: à melancholiâ atrum colorem acquirit. *Cap.* 5.

221. Cæterùm, *figuræ naturales* mutantur 4. præcipuè de caussis. 1. πληρυμένων ἀμετρότερον. 2. κενυμένων. 3. τῆς οἰκείας χώρας μεθιςαμένων. 4. παρασπωμένων τῶν μορίων: partibus imple-

 tis,

tis, vacuatis, à propriâ ſede remotis, aut convulſis. Cauſæ autẽ repletionis, vacuationis, remotionis à loco, & convulſionis ſunt plures, ſicut & affectuũ olfactilium, guſtatilium & tactilium; quas pluribus hîc proponere, ſuperfluum *Gal.* judicat. Si quis enim attentè legat, quæ præcedentibus *libr. duobus de ſympt.* cauſis: *l. de morb. cauſ.* & *l. de diff. ſympt.* circa finem ferè dicta, cauſas illas facilè inveniet. *Cap.* 5.

Pars quarta libri. 222. *Ideóq́; finiendus jam eſt tractatus de ſymptomat. cauſis:* ſi unicum adhùc declaratum fuerit, quod *l. de diff. ſymptom. c.* 4. propoſitum; nimirùm quæ ſymptomata ſe neceſſariò conſequantur, & quæ non neceſſariò. *Cap.* 5.

223. Quod verò neceſſariò, & quod non neceſſariò ſequatur, hac methodo, quæ communis eſt, deprehendetur. Conſiderandũ enim, num id, quod fit, ab unâ tantùm cauſâ fiat, an à pluribus? Si enim ab unâ fiat, neceſſarium eſt, ut efficientem cauſam ſequatur. Sin à pluribus, nequaquam neceſſarium eſt. *Cap.* 5.

224. Par ratio ſymptomatum eſt. Nam ſi ſymptoma aliquod ab unico tantùm ſymptomate procedat, neceſſariò illud ſequitur. Ab unico autem tantùm procedit, quando ſymptoma primum ſic alterius, quod ſequitur, cauſa eſt, ut à nullo alio proficiſcatur. Quod ſi ad ſecundi ſymptomatis generationem aliæ quædam cauſæ accedant, tùm ſymptoma ſecundũ non neceſſariò ſequetur primum. Id quod *Gal.* unico ἀπεψίασ, crûditatis exemplo declarat. *Cap.* 5.

225. Nam licet ad hanc nonnunquam ἐμπνευμάτωσισ, inflatio, ἡ δῆξις, morſus, ἡ ὑγρὰ καὶ πολλὴ διαχώρησισ, multa humidáq; ventris dejectio, ἡ ναυ]ία, nauſea, ἡ ἀνορεξία, inappetentia, ἡ ὄρεξις ἐπιτε]αμένη, appetitus intenſus, ἡ ὄκνος εἰς τὰσ πράξεισ, ignavia ad actiones, ἡ νωθρότης διανοίας, mentis torpor, ἡ καρηβαρία, capitis gravitas, ἡ ἀγρυπνία, vigilia, ἡ καρδιαλγία, cordis dolor, ἡ ἐπιληψία, morbus caducus, ἡ παράνοια, delirium, ἡ ἔκςασις, mentis emotio, ἡ κῶμα, coma, ἡ δυσθυμία, mœſtitia, ἡ μελαγχολία; ἡ κώλυ, νεφρῶν, σπληνὸσ, ἥπα]ος, θώρακος,

κος ἢ ἄρθρων ἀλγήματα, dolor coli inteſtini, renum, ſplenis, hepatis, thoracis & articulorũ, ἢ ἀνωμαλία, inæqualitas, ἢ φρίκη, horror, ἢ ῥίγος, rigor, ἢ πυρετὸς, febris, aut aliud aliquod ſymptoma ſequatur: tamen, quia hæc ſymptomata ſæpè etiam citra cruditatem accidunt: ideò eam non neceſſariò ſequuntur. *Cap. 5.*

226. Cur verò narrata jam ſymptomata cruditatem non neceſſariò ſequantur, hæc ratio eſt: quoniã pro cruditatis magnitudine & differentiâ, hominis naturâ, acuto vel obtuſo ejuſdẽ ſenſu, partium deniq; robore, vel infirmitate aliâs aliud ſymptoma gigni ſolet. *Cap. 5.*

227. Etenim, μεγάλη ἀπεψία, magna cruditas, & majora, & plura inducit ſymptomata: minor verò pauciora minoráque. *Cap. 5.*

228. Differentia ἀπεψίας ſuprà θ. 25. tradita fuit duplex: ὀξώδης, acida, quæ πρὸς τὸ ψυχρὸν καὶ φλεγματῶδες, ad frigidum & pituitoſum eſt cõverſa: & κνισσώδης, nidoroſa, quæ πρὸς τὸ θερμὸν ad calditatẽ ſpectat. Itaq; pro diverſitate ejus diverſa quoq; oriuntur ſymptomata. *Cap. 5.*

229. Eſt & alia ejuſdem differentia, quâ alia dicitur δακνῶσα, mordax: alia μὴ δακνῶσα, mordacitatis expers. Item & tertia: quâ alia ſtatuitur εἰς ἀτμώδες πνεῦμα λυομένη, in halituoſum ſpiritum ſoluta: alia μὴ λυομένη, in illum non ſoluta. Quæ differentiæ rursùs in cauſa ſunt, ut diſſimilia planè ſymptomata excitentur. *Cap. 5.*

230. Sed & ἡ φύσις τῶ ἀνθρώπε, natura hominis vel confert, vel reluctatur ſymptomatum generationi. Nam quibus δυσαίσθητός ἐστιν ἡ γαστὴρ, ventriculus obtuſo & hebeti ſenſu præditus eſt, ij neq; vehementer mordentur: neq; dolent: neq; multa excernunt: neque καρδιαλγῶσι, cordis dolore laborant: neque facilè capitis infeſtantur cruciatu. Quibus verò idem ventriculus εὐαίσθητος, eſt, h.e. acuto ſenſu pollet, ijs ſymptomata hæcce promptè accidunt, τῆς ἄνωθεν ἀρχῆς τὰ συμπτώματα ἐπιπεμπούσης, ſupremo principio, ipſo ſcil. cerebro, quod in loco ſuperiori, capite, reſidet, ſymptomata immittẽte. *Cap. 5*

231. De partium robore & infirmitate multa dicere nihil attinet. In Illis enim, qui cruditate laborant, ea pars maximè noxam ſentit, quæ maximè eſt imbecilla. Itaque dicendum non eſt, ullum ſymptoma neceſſariò ἀπεψίαν ſequi. *Cap. 5.*

232. Significandum modò, quænam ſymptomata neceſſariò ſe conſequantur? Poteſt autem id primùm declarari exemplo ἀτροφίας. Hæc enim neceſſariò læſam ſequitur ἀναδιδομένην ἐνεργείαν τροφῆς εἰς τὸ σῶμα, h.e. actionem alimentum in corpus diſtribuentem: ſive illa planè ſit abolita; ſive tantùm debilitata. Nam ſi nil prorsùs alimen-

alimenti partibus communicetur, ἀτροφίᾳ laborent necesse est. Si autem vis ἀναδιδομένη sit debilis, & parum alimenti, minúsq;, quàm requiratur, partibus suppeditetur, extenuari eas gracilioresq; fieri oportet. *Cap. 5.*

233. II. Exemplo τῆς δυνάμεως ἀλλοιωτικῆς, alteratricis, seu concoctricis facultatis. Hujus enim noxam itidem partium ἀτροφία necessariò sequitur. Nam si alimentum non concoquatur, quî quæso partes nutriri possunt? *Cap. 5.*

234. III. Exemplo ἐνεργείας διακριτικῆς, actionis secretricis. Hujus quippe symptoma est ἡ ἀποτυχία περὶ τὴν διάκρισιν τῶν περιττωμάτων τοῦ αἵματος, frustratio, quæ fit in separatione excrementorũ sanguinis. Hanc siquidem necessariò τὰ τῆς ἀχροίας συμπτώματα, pravi coloris accidentia consequuntur. Et alterum quidem illorum vocatur ἴκτερος, morbus regius, quo totum corpus bile suffunditur; alterum verò, quo melancholicum excrementum à sanguine non separatur, ἀνώνυμον est apud Græcos: apud Latinos verò icterus, seu arquatus niger dicitur, quo universum corpus nigro colore inficitur. *Cap. 5.*

235. Hâc eadem methodo si nitamur, in omnium symptomatum generibus facilè inveniemus, quæ symptomata necessariò se invicé sequantur. Sequuntur necessariò, quæ ab unâ tantùm causâ dependent. Non necessariò sequuntur, quæ plures suæ generationis causas habent. *Cap. 5.*

COROLLARIA.

I. *An χύλωσις fiat attritione & comminutione ciborum? an putrefactione? an alteratione? Postremum placet.*

II. *An aliquis ordo in ciborum assumptione observandus? A.*

III. *An tantũ sint tres concoctiones nutritioni inservientes: duæ publicæ, χύλωσις καὶ αἱμάτωσις: & una privata, quæ celebratur in singulis partibus? A.*

IV. *An χύλωσις fiat à solo calore? an ab ἰδιοσυγκρασίᾳ ventriculi? Ab utraq; causâ: sed principaliter à posteriore.*

V. *An vitium concoctionis primæ corrigi possit in secundâ: & secundæ in tertia? D.*

VI. *An vis αἱματοποιητικὴ πρώτως parenchymati hepatis insit? A.*

VII. *An singultus vera sit convulsio? N.*

VIII. *Sitné λειεντερία principaliter ventriculi, an intestinorum affectus? Ventriculi.*

IX. *An clysteres rejici possint per os? A.*

X. *An ἀνάδοσις alimenti peculiaris aliqua sit animæ actio à cæteris di-(stincta? N.*

XI. *An διάκρισις sit functio ab alijs animæ functionibus diversa? N.*

F I N I S.